DE

MARIAE PLENITUDINE GRATIAE

SECUNDUM

S. BERNARDUM, ABBATEM ECCLESIAEQUE DOCTOREM

DISSERTATIO

QUAM AD OBTINENDAM DOCTORATUS LAUREAM

APPROBAVIT

S. FACULTAS THEOLOGICA

UNIVERSITATIS FRIBURGENSIS APUD HELVETIOS

AUCTORE

P. BASILIO HÄNSLER, S. THEOL. LIC.

S. O. CIST.

Ex Monasterio Augiae Maioris vulgo Mehrerau

FRIBURGI HELVETIORUM

TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

1901

DE

MARIAE PLENITUDINE GRATIAE

SECUNDUM

S. BERNARDUM, ABBATEM ECCLESIAEQUE DOCTOREM

DISSERTATIO

QUAM AD OBTINENDAM DOCTORATUS LAUREAM

APPROBAVIT

S. FACULTAS THEOLOGICA

UNIVERSITATIS FRIBURGENSIS APUD HELVETIOS

AUCTORE

P. BASILIO HÄNSLER, S. THEOL. LIC.

S. O. CIST.

Ex Monasterio Augiae Maioris vulgo Mehrerau

FRIBURGI HELVETIORUM

TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

1901

Illustrissimo ac Reverendissimo

Domino Domino

AUGUSTINO STÖCKLI

Exempti ac consistorialis

Monasterii B. M. V. de Maris-Stella, vulgo Wettingen

Abbati

Monasterii B. M. V. de Augia Maiore,

vulgo Mehrerau

Priori

In filialis amoris gratique animi testimonium

Devotissimo animo

D. D.

Auctor.

Lecturis, Salutem in Domino!

Libellus, qui inscribitur : « De Mariae plenitudine gratiae secundum S. Bernardum, Abbatem et Ecclesiae Doctorem, Dissertatio. » Auctore P. Basilio Hänsler, S. O. Cist., typis mandari potest (si ita iis, ad quos pertinet, videbitur).

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas nostroque sigillo munitas dedimus.

Datum in Monasterio Augiae Maioris, die 1 mensis Decembris anno 1900.

Fr. AUGUSTINUS,

Abbas.

IMPRIMATUR

Friburgi Helv., die 23 januarii 1901.

† JOSEPHUS,

Episcopus Lausan. et Geben.

PROOEMIUM GENERALE

Huius dissertationis inauguralis, quam, ne iam dudum publici iuris fecerim, complura impediebant, argumentum non totam S. Bernardi esse Mariologiam, vel ex ipsa eius inscriptione patet.

Ut « Mariae plenitudo gratiae » seligeretur tractanda, qua constat suasit ratio, neminem forsitan unquam tam eloquenter eam praedicasse, quam S. Bernardum, Doctorem mellifluum, maximum Virginis veneratorem [1], vel saltem, ut S. Bonaventurae utar verbis [2] « praecipuum Virginis amatorem et honoris eius zelatorem ».

De praedicta gratiae plenitudine Mariae S. Doctor nullibi tractat ex professo, sed quasi sal et condimentum suam de ea doctrinam diversissimis suis aspergit libellis, ita, ut non sit nimis facile, ex copiosis eius tractatibus locos huc pertinentes classicos eruere.

Videntur tamen auctori huius dissertationis omnibus S. Bernardi operibus diligenter perlectis loci citandi

[1] Cfr. Gutberlet in Heinrich's Dogmatik, B. 7, Seite 440.

[2] Cfr., ad Claras Aquas, T. III, p. 63.

praecipue ex Marianis eius desumendi esse scriptis ac proinde ex quattuor eius homiliis super « Missus est » vel haud scio an potius « in laudibus Virginis Matris [1] » e sermonibus a S. Doctore habitis in festis Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. Virginis, ex epistola denique celeberrima 174 ad Canonicos Lugdunenses directa.

Ad doctrinam de Mariae plenitudine gratiae a Sanctis Patribus traditam haud scio an S. Bernardus nil fere novi adiecerit nisi linguam novam. « Lingua nova, nova, inquam, lingua loqueris, dum mysteria sacra insonas, dum laudes Conditoris personas, scribit Hugo Metellus in epistola aliqua ad S. Bernardum [2]. Sacrum mysterium autem sine dubio insonat « declarans mysterium quod effecit in Virgine Deus Creator omnium », ut belle cantat familia Cisterciensis in festo divi Bernardi ad Vesperas.

Haec lingua nova optime audit forsitan *lingua melliflua*. « Sub lingua tua lac et mel, non dolus, non fel. Lingua favus est distillans mel [3]. »

Iam hic etiam dixerim, dividi hunc libellum in duas partes,

Quarum in prima de Mariae plenitudine gratiae ante divinam maternitatem,

Quarum in secunda de gratiae plenitudine eiusdem in ipsa maternitate divina tractabitur.

Prima pars subdividitur in tria capita.

Quorum in primo de sanctificatione B. M. Virginis in utero matris disseretur,

Quorum in secundo de privilegio singulari libertatis eiusdem a quovis actuali peccato et a fomite peccati,

[1] Cfr., ep. 18 in fine et ep. 89 in fine. N. B. Citantur hic loci secundum editionem Parisiensem (apud Gauthier, 1835).

[2] Cfr., in cit. ed. epist. 429, n. 2.

[3] Cfr., *ibidem*.

Quorum in tertio de virtutibus praeclarissimis Sanctae Mariae, quibus visibilis quodammodo facta est eius gratia invisibilis, sermo instituetur.

Huius partis capiti primo tamen praemittatur necesse erit,

Tractatus de famosissimae epistolae 174 authenticitate.

Allatum autem secundo loco privilegium virtutesque B. M. Virginis hic ponuntur, quia haec, ut mox apparebit, a S. Doctore tamquam conditio sine qua non maternitatis divinae eiusdem Sacrae Virginis concipiuntur.

Secunda pars dispescitur in duas partes.

Quarum in prima dicitur.

A

De gratia Matris Dei Mariae in terra degentis,

Quarum in secunda.

B

De gloria Matris Dei Mariae triumphantis in coelo.

Secundae partis prima pars sub se comprehendet sex capita, quorum,

In primo de existentia gratiae divinae maternitatis in Maria,

In secundo de tempore, quo Mater Dei facta est Maria,

In tertio de differentia gratiae maternitatis divinae ab aliis Mariae gratiis,

In quarto de dignitate huius gratiae,

In quinto de privilegio singulari foecunditatis virgineae seu foecundae virginitatis Sanctae Mariae,

In sexto de aliquibus aliis privilegiis Mariae cum praedicto coniunctis agitur.

Huius autem partis secunda pars complectetur duo capita,

Quorum prius proferet sententiam S. Bernardi de susceptione corporis Mariae in coelum,

Quorum exhibebit posterius gloriam Sanctae Dei Genitricis in coelo.

Sic puto, cum causa a me factam esse hanc secundae partis subdivisionem in duas partes. Eo ipso enim, quod sine dubio gloria Mariae ad illius gratiae plenitudinem in maternitate divina pertinet, parti secundae tractatus de illa inserendus nec propria pars principalis constituendus est. Ex altera parte gratia consummata Matris Dei Mariae adeo differt a gratiae plenitudine Mariae Dei Matris in terra degentis, ut de ea in novo tantummodo capite tractare vix sit bonum.

PROOEMIUM SPECIALE

PRIMAE PARTIS

CAPITIS PRIMI

S. Bernardi de Mariae sanctificatione in utero matris, respective de eiusdem Conceptione doctrina fere unice in famosissima eius epistola ad Canonicos Lugdunenses continetur.

Cuius cum authenticitas a clarissimo Ballerini [1] praecipue nostro saeculo in dubium vocata sit, aliquae ex rationibus, quas hic auctor contra huius epistolae affert authenticitatem, oportebit hic allegentur, et, salva huius viri auctoritate, infirmentur, ne dicam omnino enerventur.

Infert Ballerini cum alia, tum praecipue haec : Autorem epistolae 174 contendere, paucorum tantummodo imperitorum fuisse, Conceptae Deiparae festum celebrare;

[1] Cfr. Sylloge Monumentorum ad mysterium Conceptionis Immaculatae Virginis Deiparae illustrandum, p. II., p. 709-821. Romae, 1856.

atqui historia teste talem falsissimam esse assertionem ; ergo hanc epistolam vix esse authenticam, cum non facile dici possit, haec falsa e calamo excidisse tum docti, tum sancti Bernardi.

Maior patet. Dicit enim auctor epist. 174 « non ita praecipitanter atque inconsulte paucorum sequenda erat simplicitas imperitorum [1] ».

Minorem probare conatur Ballerini ostendendo, tunc, 1140, hoc festum in Hispania, et certe in tota Navarrae regno, et in Anglicis fuisse actum Ecclesiis, Rothomagenses praeterea inductum festum in universam Galliae provinciam Normanniam iam inde a Gulielmi Conquaestoris aetate testastos fuisse, item primo post Bernardi obitum anno festum Conceptionis Deiparae fere per totam Galliam ab omni populo Christiano celebrari consuevisse, proindeque ipsa Bernardi aetate ritum celebrandi Conceptionis festivitatem etiam per Gallias latius fuisse propagatum [2].

Ad quod : Vel ipse Ballerini omittit ea, quae spectant ad Orientales Ecclesias ipsamque Italiam, siquidem ea facile dicerentur incomperta Bernardo [3]. Sed nonne ea, quae respiciunt ad Anglicas Hispanicasque Ecclesias, fere aeque bene possunt dici S. Doctori ignota et incomperta ?

Quoad Anglicas saltem Ecclesias hoc admittere Vacandard minime dubitat [4]. In Navarrae autem regno certe post annum 1092 hoc festum introductum est etiam secundum Ballerini [5] imo forsitan primis demum duodecimi sæculi annis, cum probet [6], in Navarram Deiparae Conceptae

[1] Cfr., ep. 174, n. 9.

[2] Cfr., in cit. op., pag. 776 et 777.

[3] Cfr., *ibidem*.

[4] Cfr. « Leben des hl. Bernard von Clairvaux. » Autorisierte Übersetzung von Matthias Sierp, Mainz 1898, 2. Band, Seite 89.

[5] Cfr., in cit. op., pag. LXVII.

[6] Cfr., *ibid.*, pag. LXVI.

festum propagatum ex Anglia fuisse idque Anselmi aetate contigisse. Vixit autem S. Anselmus usque ad annum 1109. In Anglia autem secundum Vacandard [1] non ante initium 12 saeculi, interposita interruptione Normannorum incursionibus causata, hoc festum denuo publice agi coeptum est.

Supposito nunc ex Ballerini sententia, revera ex Anglia in Navarram delatum fuisse hoc festum, et quidem non tempore primae huius festi in Anglia institutionis, quippe quod secundum eum certe post annum 1092 illuc exinde introductum sit, Anglis prima vice iam in medio 11 saeculi hoc festum celebrantibus [2], videtur primis 12 saeculi annis hoc factum esse.

Nullatenus autem est impossibile, imo est verisimilius, posterius habuisse locum huius festi in Navarrae regno institutionen, cum Anselmus, cuius tempore hoc festum in Navarram ex Anglia fuisse propagatum, a Ballerini contenditur, probabilius non S. Anselmus, Ecclesiae Doctor, sed eius nepos fuisse putandus sit, quem cum aliquibus aliis huius festi propagatorem fuisse satis constat [3].

Sic differre possumus non sine ratione huius festi in Navarram ex Anglia propagationem vel usque ad prima saeculi duodecimi decennia.

Quoad Galliam autem sic se habet res. Gulielmi Conquaestoris aetate inductum fuisse hoc festum in Normanniam, Galliae provinciam non satis constare videtur. Vacandard [4] saltem non audet dicere, ineunte duodecimo saeculo illic hoc festum iam fuisse celebratum, a fortiori non Gulielmi Conquaestoris tempore (1016-1087), imo,

[1] Cfr., in op. cit. Seite 88.

[2] Cfr., in op. cit. Seite 88.

[3] Cfr. Vac. *ibid.*, et « Wetzer u. Welte's Kirchenlexicon » 2. Aufl. B. IV. S. 467.

[4] In cit. op. S. 89.

cum Hugo, abbas de Reading, qui simul cum nepote S. Anselmi huius festi defensor acerrimus fuit, anno millesimo centesimo undetricesimo episcopus sit creatus Rothomagensis [1], verisimillime post hunc annum a Normandia in totam Galliam per hunc episcopum hoc festum est propagatum.

Quod autem attinet ad decretum illud Attonis, Prioris monasterii S. Petri de Regula, secundum quod primo post Bernardi obitum anno festum Conceptionis Deiparae fere per totam Galliam ab omni populo Christiano celebrari consuevit, nil probat contra epist. 174 autorem asserentem, paucorum tantummodo fuisse, hoc festum celebrare.

Ratio est, quia decursu viginti et quinque annorum bene hoc festum longe lateque diffundi potuit, epistola autem 174 probabilius scripta est iam anno millesimo centesimo duodetricesimo [2].

Quid aliud nunc sequitur, nisi quod autor epistolae 174 dicere potuit, immo debuit, paucorum tantummodo fuisse imperitorum, Conceptae Deiparae festum peragere? Consequenter dicendum est, minorem Ballerini claudere, ac proinde etiam eius conclusionem quoad authenticitatem ep. 174.

Sed instat Ballerini sic [3]. Nullam rationem apparere, cur fidem detrectemus decreto illi Attonis; comparatione autem hoc decretum inter et epist. 174 instituta necessario sequi, tempore ab epist. hac scripta ad Attonis usque decretum praeterlapso hoc festum propagatum fuisse in Gallia. Hoc autem admisso alterutrum nos conicere oportere : aut incompertam omnino per Gallias permansisse hanc epistolam, aut certe Gallos necquiquam S. Doctore

[1] Cfr. Kirchenlexicon, *ibidem*.
[2] Cfr. Vac., op. cit. S. 90.
[3] Cfr., op. cit., pag. 711 et ss.

reclamante novam religionem tam graviter reprehensam turmatim amplexos fuisse. Atqui utrumque sic difficile apparere, ut vix aliquam veri speciem habeat. Ergo epist. 174 autorem probabilius esse alium ac S. Bernardum.

En difficultas haud parvi pendenda.

Respondeo : Ipsum Ballerini implicatissimum hunc nodum explicare haud inacceptabili modo, coniectando nempe, motus a S. Bernardo circa Deiparae Conceptae festum excitatos ratione compositos aut saltem sedatos fuisse ab ipso S. Doctore indigitata, i. e. aliquo apostolicae Romanae sedis interveniente iudicio [1]. Etiam illud Ballerini, ut puto, sustineri potest, iudicii talis instar fuisse vel esse potuisse altare Athanacensis Lugdunorum abbatiae consecratum et dicatum a Paschali secundo Immaculatae Conceptioni Virginis, ad quod provocantes Lugdunenses facere potuisse, ut S. Bernardus ab impugnando hoc festo desisteret [2].

Ignorare autem potuisse S. Bernardum huius altaris in specie consecrationem anno millesimo centesimo sexto vel millesimo centesimo decimo tertio peractam [3], quis in dubium vocare velit ?

Sed et hoc dicere ausim, Gallos cultum Deiparae Conceptae saltem hic illicque instituere potuisse, licet S. Bernardus eum impugnarit. Facile enim intelligitur, magnam, quam Galli S. Doctori deferebant aestimationem, haud necessario impedivisse, ne in particulari aliqua et acriter controversa quaestione ab eius recesserint sententia. — Si nunc supponamus, in decreto illo Attonis numerum hoc festum in Gallia anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto colentium paulo exaggerari, in epistola vero 174

[1] Cfr., ep. 174 in fine.
[2] Cfr. Ball., *ibid.*, pag. 713.
[3] Cfr. Ball., *ibid.*, pag. 722.

quoad annos praecedentes eundem exhiberi minutum, haec difficultas soluta esse dici potest, cum secundum Ballerini haec magna aestimatio sola et unica causa fuerit deterrens Gallos, quo minus vivo Bernardo hoc inducerent festum [1].

Pergit Ballerini [2] sic : Autorem epist. 174 oppugnare errorem materiali seu seminali Conceptioni Deiparae religiosum cultum tribuentium; atqui non facile admittere eruditos, Ecclesiam Lugdunensem nullam aliam religiosi cultus metam sibi praestituisse, quam ut carnalem in actu coniugii commixtionem gratiamve huic conceptioni insitam venerarentur, imo nullo non tempore Deiparae Conceptae cultum eo spectasse constare, ut sanctitati, qua in prima sui creatione Virginis Beatissimae anima refulsit, honor tribueretur; ergo non sine causa dubitari, utrum reipsa epistolae 174 S. Bernardus sit autor.

Respondeo maiorem verissimam esse propositionem; ad minoris primam partem dico, nec ipsum autorem huius epistolae *facile* admisisse, Lugdunenses religioso seminalem Virginis Conceptionem peregisse cultu, unde illud [3] : « unde miramur satis », etc., et deinde, autorem epist. 174 nullibi *expresse* contendere, nullam aliam nisi activam seu solam activam Virginis celebrasse Lugdunensem Ecclesiam Conceptionem;

Ad secundam autem minoris partem dico, esse quidem admittendum, passivam Mariae Conceptionem, i. e. animae Mariae in ipsa sui Creatione sanctitatem esse celebratam, attamen simul activam seu seminalem eius Conceptionem sollemni fuisse in Gallia peractam cultu, non minus esse certum, ac proinde ex communiter contingentibus esse concludendum, Lugdunensem Ecclesiam similiter vel potius

[1] Cfr., op. cit., pag. 713.
[2] Cfr., op. cit., pag. 778 ss.
[3] Cfr., ep. 174, n. 1.

peraeque utramque Mariae Conceptionem coluisse, sicque per multorum errorem Lugdunensium culpam iam satis esse imminutam, saltem sub aliquo respectu.

Cum tamen asserentis sit probare, responsionis meae ad secundam minoris Ballerinianae partem veritas demonstratur sic :

Secundum Ballerini, ut iam diximus, ex Anglia in Gallias sicut in alias regiones dimanavit cultus Conceptae Deiparae, ac proinde non dubito, quin Gallis et Anglis unum et idem fuisse religionis obiectum concedat. Imo hoc sole clarius est, cum et ipse ex delatione festi Conceptionis in Gallias ex Anglia obiecti cultus concludat in utraque Ecclesia identitatem [1]; atqui in Anglia non tantum passivae, sed et activae Mariae Conceptioni cultus delatus est religiosus; ergo et in Gallia.

Probanda est minor probaturque sic :

Ballerini ad probandum, Conceptionem passivam fuisse cultam in Anglia et in Gallia, provocat ad antiquissimum tractatum de B. M. Virginis Conceptione, et non immerito, similiterque ad sermonem seu epistolam, qua revelatio abbatis Elsini continetur [2]; atqui e secundo hoc scripto, e quo haurit Ballerini locum classicum ut putat in favorem asserti sui, potius argumentum meae sententiae amicum et quidem duplex eruitur.

Primum exhibent haec verba [3] : « Si non placet illi celebrare Dominicae Matris carnalem conceptionem, saltem placeat celebrare eius animae spiritualem creationem corporisque cum anima copulationem. »

Quid autem intelligere debeamus carnalem conceptionem, licet per se pateat, tamen immediate antea dictum

[1] Cfr. Ball., op. cit., p. 780.
[2] Cfr. Ball., op. cit., p. 780.
[3] Cfr., inter op. S. Anselmi. Migne. T. CLIX, p. 322.

est his verbis [1] : « Duae sunt conceptiones hominis (hoc omnibus peritis notum est) una qua carnalis copula viri ac mulieris agitur, alia, qua spiritualis anima nova et pura Deo operante corpori divinitus adiungitur. »

Secundum autem argumentum repeto ex hisce verbis [2] : « Celebremus igitur hodie dignis officiis utramque eius conceptionem venerabilem, spiritualem videlicet et humanam. »

Dum ergo in primo allato loco autor illius tractatus contentus esse videtur celebratione festi Conceptae passive Deiparae, quin ardentius venerationem et activae cupiat, in secundo, quem induxi, apertius loquitur, optatque ut colatur et activa Mariae Conceptio.

Hi duo autem loci eo maioris vis sunt et valoris, quo libentius Ballerini [3] concedit, imo probat, scriptum illud, e quo desumpti sunt, ante oculos habuisse epistolae 174 autorem, ex quo et concludit, eum non dubitasse, eas intentare Lugdunensibus accusationes quarum falsitatem vel ex ipsis instrumentis, quae habuerit prae manibus, plane dignoverit, videlicet, eos celebrasse activam Mariae Conceptionem.

Quod scriptum revera in manibus autoris epistolae 174 fuisse, exploratum haberi debet etiam Vacandardi sententia [4].

Quae cum ita sint, tota difficultas soluta est. Sine causa sufficienti dubitatur, utrum revera epistola 174 mellifluum Doctorem habeat autorem.

Dubito tamen, an falsum sit illud Ballerini [5], etiam clarissimum Manrique duplex in Ecclesia Lugdunensi admisisse festi obiectum. Eruere hoc vult Ballerini ex eo

[1] Cfr., *ibid.*

[2] Cfr., *ibid.*, p. 323.

[3] Cfr., op. cit., p. 782.

[4] Cfr. Vacandard, op. cit. S. 90 et 91.

[5] Cfr. Ballerini, op. cit., pag. 779.

quod Manrique dicit, Canonicos Lugdunenses cum aliis putasse, *vel* Conceptionen, i. e. seminis in vulva susceptionem sanctificatam fuisse, ita ut per particulam « vel » subintulisset, hand abnuere sese, Conceptae Virginis cultum alio quoque spectasse, etc. Haec enim particula « vel » non cogit ad Ballerinianam interpretationem amplectendam. Uti bene potuit hac particula Manrique ad exprimendam acrius Lugdunensium sententiae falsitatem, praescindendo omnino ab hoc, utrum ad aliquod aliud quoque, necne, ac ad seminalem Virginis Conceptionem cultus Lugdunensis Ecclesiae se retulerit [1].

Sed supposito nunc cum Ballerini, hanc Manrique amplexum esse sententiam, non video, cur senserit aliquid, quod sustineri non possit.

Infert nempe Ballerini [2] contra hanc sententiam, si Ecclesia Lugdunensis utramque Virginis Conceptionem celebrasset, S. Bernardum haud ignarum duplicis huius festi Lugdunensium obiecti, non sic universim conclusurum fuisse, « a festo prorsus esse cessandum » vel ad verbum « nullam festivae esse rationem Conceptionis » [3].

Sed frustra. Ratio enim, cur S. Doctor universim concludere potuerit, cultum Conceptionis Mariae esse ablegandum, licet ipse in passiva Virginis Conceptione causam festi celebrandi verisimiliter viderit, facile timor esse potuit, ne permisso semel in sensu passivo Conceptae Deiparae festo, venerarentur, non obstante sua epistola, sicut adhuc, cum passiva et activam Virginis Conceptionem.

Talis autem metus ratione non fuisset destitutus, cum pro festo in sensu activo — nam contra hanc Conceptionem in tota epistola 174 S. Doctor dicit, ut ex parte iam

[1] Cfr. Annales Cist. ad annum 1136 c. 5, n. 4, T. I, pag. 310, etc.
[2] Cfr. Ball. op. cit., pag. 779.
[3] Cfr., ep. 174, n. 9.

vidimus meliusque etiam videbimus — non minor quam scripti supernae revelationis auctoritas fuerit prolata, uti ex epistola patet [1], et licet S. Bernardus hoc scriptum in epistola 174 acerbissime et merito [2] quidem declararit apocryphum [3], persuasum ei haud scio an non fuerit, iustissimum suum hoc de illo iudicium Lugdunenses facturos esse suum.

Ad summam, maius, immo maximum ad malum vitandum, ne scilicet vel ipsa activa Virginis Conceptio honoraretur, minus vel fere nullum tunc temporis concessit epistolae 174 autor, videlicet, Conceptionis Mariae festum abrogari omnino utroque in sensu.

Causam autem, cur scribere non dubitarit s. abbas, nullam festivae esse rationem Conceptionis, ipse in epistola sua innuisse mihi videtur adhuc melius scribendo : « consulenda erat prius apostolicae sedis auctoritas [4] ».

Mater Ecclesiarum, Romana Ecclesia neutrius Conceptionis Mariae festum celebrando, S. Doctori visa est nondum velle approbare publice aliquam festivae rationem Conceptionis, ac proinde verborum horum nescio an sit sensus, nullam esse ex eo, quod nulla sit ab apostolicae sedis auctoritate publice approbata, relate ad qualem rationem quamcunque aliam privatam quasi nullam esse reputandam et quasi non existentem.

Sed nondum statim finis. En ultimus, sed principalis forsitan offensionis lapis.

Epistolae 174 autorem, contendit Ballerini [5], ancipitem haerere, an Joannes Baptista, si mori ei in utero, postquam Spiritu S. repletus fuit, contigisset, aeterna effugere supplicia

[1] Cfr., ep. 174, n. 6.
[2] Cfr., Vac., op. cit. S. 91.
[3] Cfr., ep. 174, n. 6.
[4] Cfr., ep. 174, n. 9.
[5] Cfr., op. cit., pag. 784.

potuisset, et quidem adeo, ut illius sententia id temere affirmari videatur, et ex hisce deinde scriptorem epistolae inferre : « etiamsi sanctificatio Joannis nihil valuerit adversus originale illius peccatum, et licet manserit filius irae, adeo ut aeterna luiturus esset supplicia si mori in utero ei contigisset, tamen merito Ecclesiam illius natalem festis praeferre gaudiis », etc.

Conclusio Balleriniana consequenter sic sonat [1] : « haec cum manifesta sint, num vel haec pauca satis superque non sint, ad controversiam de epistolae autore dirimendam ? »

Ad haec respondeo :

Nego antecedentem. — Adeo autor epistolae 174 non dubitat de valore sanctificationis S. Joannis in utero adversus eius originale peccatum, ut asserat, non mansisse post sanctificationem Joannem filium irae, nec, si mori ei in utero contigisset post hanc sanctificationem, luiturum fuisse damnationis poenas, ut affirmet aliis verbis, valuisse istam sanctificationem adversus originale huius sancti peccatum. Verba autoris epistolae sunt haec : « sanctificatos tamen non dubitaverim dicere, quos Deus sanctificavit, et cum eadem sanctificatione prodisse ex utero, quam acceperunt in utero, nec reatum, quem in conceptione traxerunt, valuisse ullatenus horum natali iam donatam praepedire seu praeripere benedictionem. Attamen quis dicat, Spiritu S. repletum manere adhuc filium nihilominus irae, et si mori in utero contigisset cum hac plenitudine Spiritus, poenas luiturum damnationis [2] ? »

Sequuntur quidem immediate haec : « Durum est. Minime tamen ausim, hinc quippiam mea sententia definire. »

Sed haec licet specie faveant Ballerinianae interpreta-

[1] Cfr., op. cit., pag. 785 ss.
[2] Cfr., ep. 174, n. 4.

tioni, reapse non possunt enervare vim verborum antecedentium, nec ulla est haec inter et illa contradictio. Quidni potuerit autori epistolae 174 esse persuasissimum de valore sanctificationis S. Joannis in utero adversus eius originale peccatum, quin hoc definire voluerit?

Nec etiam obstant meae interpretationi verba allata : « sanctificatos tamen », etc., praecedentia, ad quae, ut probet suam explicationem, Ballerini [1] provocat.

Sic sonant : « *quatenus* adversus originale peccatum haec ipsa sanctificatio valuerit, sive pro isto, (S. Jo. Baptista) sive pro illo (S. Jeremia) propheta, vel si quis alius simili praeventus gratia fuerit, *non temere dixerim* [2]. »

Haesito enim, an hoc his verbis autor epistolae 174 velit dicere : « utrum haec sanctificatio Joannis in utero adversus eius originale peccatum id unice valuerit, quod statim afferam, necne, non temere dixerim. »

Hanc mihi explicationem haec verba videntur postulare, si non separatim, sed relate ad sequentia concipiantur.

De facto adversus originale S. Joannis peccatum absolute loquendo eius in utero sanctificatio plus agere potuisset, quam quae autor epistolae 174 affert, potuisset v. g. valere etiam adversus S. Joannis materiale originalis peccati momentum, adversus videlicet eius concupiscentiam.

Sed et altera Ballerini assertio non dubito, quin falsa sit. Ad probandum, autorem epistolae 174 contendere, etiamsi non valuerit adversus S. Joannis originale peccatum eius sanctificatio in utero, merito tamen Ecclesiam eius celebrare natalem, affert haec verba autoris epistolae [3] inducta excipientia : « quidquid de hoc sit, merito Ecclesia, quae caeterorum non nativitatem sed mortem Sanctorum

[1] Cfr., op. it., p. 784.
[2] Ep. 174, n. 4.
[3] Cfr., ep. 174, n. 4.

iudicat et praedicat pretiosam, singulari quadam exceptione festis praefert gaudiis veneraturque illius natalem, de quo nuntiante angelo singulariter legit : « et multi in nativitate eius gaudebunt. »

Haec verba ratione contextus secundum Ballerini [1] idem valent ac si diceret autor : « sive sanctificatio valuerit, sive non », etc., et sic totius vis sententiae ex eiusdem interpretatione est haec : « etiamsi sanctificatio Joannis nihil valuerit adversus originale peccatum..., tamen merito Ecclesia illius natalem festis praefert gaudiis veneraturque », etc.

Sed verus horum verborum sensus hic an non sit, dubito, et, ut puto, cum causa.

Verba « quidquid de hoc sit », quae in magno ponit Ballerini discrimine, non magnam pariunt difficultatem.

Ut paucis resumam, autor epistolae 174 dixerat, quin adversus originale S. Joannis peccatum eius sanctificatio in utero valuerit, sibi non esse dubium, licet hoc definire non velit, utrum vero haec sanctificatio adversus eius originale peccatum id solummodo effecerit, ut reddiderit eum filium gratiae ex irae filio, necne, se non velle temere dicere.

Quid nunc, quaeso, his verbis « quidquid de hoc sit », etc., aliud vult dicere autor epistolae nisi hoc : « etsi forte non plus valuit adversus originale peccatum S. Joannis sanctificatio in utero, quam a me allatum est, merito tamen Ecclesia », etc., et hoc est utique vero verius.

Sic etiam haec est, ut puto sufficienter soluta difficultas.

Licet nunc plura adhuc inferat alia contra authenticitatem huius epistolae Ballerini, ne tamen nimis sim longus, et cum eius caeterae minoris allatis vis sint et momenti, quas in contra profert rationes, sine mora hanc criticam

[1] Cfr. op., cit. p. 785, etc.

relinquam partem, hoc solum addens, quod in citato praeclarissimo opere Vacandard [1], quin multas afferat rationes, dicit « sententiam Ballerini, (secundum quam Nicolaus Claravallensis secretarius S. Doctoris fraudatorque notissimus est autor epistolae 174) non posse sustineri », et item, « controversiam de authenticitate epistolae omnino esse decretam ».

Sufficit ei probasse, epistolam 174 iam ante ingressum huius Nicolai in Claramvallem fuisse editam, nempe in prima publicatione epistolarum S. Doctoris a Gaufrido anno millesimo centesimo quadragesimo quinto instituta.

[1] Cfr. S. 90.

PARS PRIMA

Mariae plenitudo gratiae ante maternitatem divinam.

CAPUT I

Sanctificatio Beatae Mariae Virginis in utero matris.

Probata eius scripti authenticitate, e quo, saltem longe maxima ex parte haurienda est S. Bernardi de Mariae Conceptione sanctificationeque in utero matris doctrina, quaestio movenda est, quidnam senserit de hisce s. Doctor?

Ad quod respondeo, ante omnia docere sanctum abbatem, sacram Virginem sanctificari non potuisse ante Conceptionem sui, cum nondum fuerit antequam conciperetur.

Verba s. Doctoris ad litteram sic sonant : « An dicitur sanctificatione praeventa, quatenus iam sancta conciperetur ac per hoc sanctus fuerit et conceptus, quemadmodum sanctificata iam in utero dicitur, ut sanctus conse-

queretur et ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quam esse, siquidem non erat antequam conciperetur [1]. »

Rem ita se habere, sive activa, sive passiva Conceptio hic nomine « Conceptus » venit, luce meridiana clarius est, nec opus est declaratione.

Beatam Virginem deinde, contendo, sentire sanctum abbatem, nec sanctificari potuisse inter ipsum conceptum activum, seu, quod idem est, in ipso Conceptu seminali, nec sanctum proinde esse potuisse ipsum eiusdem sacrae Virginis conceptum hoc modo, quod illum comitata esset sanctitas.

Verba s. Doctoris praedicta exprimentia sunt haec : « An forte *inter amplexus maritales* sanctitas se ipsi Conceptioni immiscuit, ut simul et sanctificata fuerit et concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi forte quis dicat, de Spiritu sancto eam, et non de viro conceptam fuisse, sed hoc hactenus inauditum [2]. »

Id hisce ex verbis certe desumi potest, s. abbatem reiecisse sanctitatem *activae seu seminalis* Conceptionis Mariae, ut iam supra diximus. Caeterum haec verba paulo obscuriora sunt antecedentibus.

Sanctitatem non posse esse sine Spiritu sanctificante, patet, nec minus perspicuum est, Spiritui sancto societatem cum peccato esse non posse.

Videtur hic s. Doctor illud s. Pauli ante oculos habuisse. « Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras, quae autem conventio Christi ad Belial? [3] »

[1] Cfr., ep. 174, n. 7.
[2] Cfr., ep. 174, *ibid.*
[3] Cfr., II ad Cor., VI, 14.

Quae difficultatem pariunt, sunt haec : « Aut certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? »

Ad haec ante omnia notarim, quod, licet non constet, affuisse hoc in casu libidinem [1], tamen s. Doctoris sententia haudquaquam spernenda esse videtur, praesertim, cum et aliorum, v. gr. seraphici Doctoris ad eam accedat auctoritas. S. Bonaventura enim sentit, potuisse quidem virtute divina deesse libidinem, sed non decuisse, ut deesset propter hoc, quod haec sit solius Beatae Virginis praerogativa, solam enim ipsam, ut sanctos dicere, sine peccato concepisse, et sine dolore peperisse, et ideo hoc parentibus concedi non debuisse Beatae Virginis, sed soli Virgini reservari [2]. Similiter contendit, sine secunda libidine, h. e. immoderata delectatione contingere generari vix aut nunquam [3].

Sed praesupposita et admissa etiam cum S. Bernardo aliisque hac libidine, tamen vim saltem meam percipiendi superat illud, quod certe peccatum fuerit, ubi libido non defuerit, et quidem, ut e citatis verbis elucet, eius modî peccatum, quocum S. Spiritui societas esse, i. e. quod intelligam, quocum gratia sanctificans stare non potuerit.

Sensus horum verborum certe non est is « aut certe peccatum stricte sumptum quomodo non fuit *ibi, ubi* libido non defuit. » Ratio est, quia secus secundum S. Bernardum in parentibus Virginis, in quibus illius sententia fuit libido, peccatum fuisse dicendum esset tempore Conceptionis seminalis seu activae Beatae Mariae. Atqui e praesentia libidinis in Virginis parentibus, quomodo s. Doctori in mentem venire potuisset, eorumdem probare velle peccatum, sive veniale, sive mortale, quis est qui intelligat?

[1] Cfr. Heinrich's Dogmat. Bd. VII, S. 439.
[2] Cfr., edit. ad Claras aquas. Tom. III, p. 62.
[3] Cfr., *ibid.* Tom. II. p. 755.

Et revera, locum habuisse in Virginis parentibus veniale peccatum ratione libidinis exstantis in illis tempore activae Conceptionis Mariae iam ideo sensus esse non potest, quia peccatum, de quo agitur, exclusit Spiritum sanctum, i. e. gratiam sanctificantem. Sed cum tali peccato parentum sacrae Virginis societas esse potuisset Spiritui sancto, cum veniali non amittatur talis gratia.

Mortale autem peccatum admisisse S. Bernardum in parentibus Virginis et quidem vel eo tempore, quo sacerrimi aedificii fundamentum posuerunt, i. e. arcae foederis novi, corporis B. Mariae, quis dicere ausit?

Dubito etiam, an non hic vox « peccati » in sensu concupiscentiae seu libidinis sumatur, ac proinde in sensu latiori. Licet saepius « peccati » nomine veniat hic illicque libido, quia a peccato est, et ad peccatum inclinat [1], tamen iterum bene cum gratia sanctificante stare potuisset, quod peccatum a S. Bernardo inductum non potuit, praescindendo ab eo, quod curiosa argumentatio esset haec : « aut certe libido, quomodo non fuit, ubi libido non defuit. »

Quis est ergo sensus horum verborum? S. Bonaventura, in quaestione « utrum caro Virginis sanctificata fuerit *ante animationem* » ad probandum « non fuisse sanctificatam » allegat sequentem S. Bernardi locum ex epistola ad Lugdunenses depromptum : « Ante Conceptum sanctificari minime poterat, quia non erat sed nec in ipso Conceptu propter peccatum, quod inerat » et deinde haec verba explicat sic : « sed constat, quod illud non est dictum propter peccatum quod esset in parentibus, quia potuissent eam concipere sine peccato, ergo dicit propter causam peccati, quae erat in carne [2]. »

Causae peccati autem quid veniat nomine ex hisce

[1] Cfr. Conc. Trid. decr. de pecc. orig. s. V. n. 5.
[2] Cfr. ad Claras Aquas. Tom. III, p. 61.

seraphici Doctoris eluxerit : « In carne Adae propter peccatum dupplex fuit corruptio. Una scilicet purae poenalitatis, et ex hac anima cum coniungitur corpori, contrahit passibilitatem. Alia vero fuit corruptio vitiositatis, sive foeditatis, per quam caro est spiritui rebellis et ex hac anima contrahit culpam originalem, quoniam talis vitiositas quasi medium tenet inter culpam et poenam. Et hoc est, quod Magister dicit in littera, et quod sonant sacrae scripturae verba, quod ex fervore coitus parentum et concupiscentia libidinosa contrahit caro foeditatem quandam, cum concipitur, quae est causa originalis peccati, et recte vitium sive corruptio carnis appellari potest [1]. »

Sensus horum verborum S. Bernardi secundum S. Bonaventurae expositionem vi quorum attuli locorum esset ergo hic : ubi non defuerit in parentibus Virginis, cum illam genuerunt, libido, foeditatem quandam, ne tum sanctificata sit Maria, impedientem, in huius eiusdemque carne nondum animata certe fuisse.

Facile nunc intelligitur, cur in ipso suo Conceptu Maria S. Bernardi sententia non potuerit sanctificari « propter peccatum quod inerat ». Non utcumque spectata haec causa peccati secundum s. abbatem ratio est, ob quam Maria sanctificari non potuit in ipso Conceptu, sed in statu tunc eius proprio considerata, i. e. ob absentiam animae rationalis sanctificationem carnis non admittens, cum in ipso activo Conceptu agatur de peccati causa in carne nondum animata.

S. Bonavent. sententia sicuti nisi mediante foeda carne anima infici non potest humana [2], ita et vice versa nonnisi anima rationali mediante caro foedata sanctificari seu purgari potest [3]. Ita sine dubio etiam secundum S. Bernar-

[1] Cfr. ad Clar. Aquas. Tom. II, p. 749.
[2] Cfr. Ad Clar. Aq. Tom. II, p. 748.
[3] Cfr. *Ibid.* Tom. III, p. 62.

dum, quem non opus est dicere, revera non solum natura, sed etiam tempore existimasse posteriorem esse hominis passivum activo conceptum [1].

Sancto Doctori sic ex una parte persuasum habenti, locum habere non potuisse sanctificationem carnis Mariae ante illius conceptum activum, et in illius seminali Conceptione, amplectenti ex altera parte cum Ecclesia sanctae Mariae sanctam nativitatem, haud scio an id solum concludendum superfuerit : « restat, ut post Conceptum in utero iam existens, sanctificationem accepisse credatur » [2].

Haec verba difficultatem non pariunt. S. Doctor enim, cum locutus sit immediate antea de tempore Conceptum Mariae seminalem praecedente, deque labente inter hanc eandemque sacrae Virginis Conceptionem tempore, ut tenor verborum evincit, per verba « post Conceptum in utero iam existens » nihil aliud significare velle potest, nisi tempus hunc Conceptum subsequens. Consequenter vi verborum S. Bernardi quolibet momento post hanc Conceptionem caro Mariae sanctificata esse potest, si praescindamus a tempore ad personalis Conceptionis primum instans usque labente ab hac Conceptione, excluso vi rationis ab ipso s. Doctore inductae ad probandam impossibilitatem sanctificationis carnis Mariae in ipsa Conceptione seminali. Et revera, s. abbas, si primum instans infusionis animae Mariae voluisset eximere a tempore, quo carnis Mariae sanctificationem locum habere potuisse credidit, subcomprehendereque lectores epistolae suae sub tempore, quo sanctificari potuisse eandem negavit, apertius se expressisset.

Quando autem *praecise* Mariae caro S. Bernardi sen-

[1] Cfr. Congrès scientif. des Catholiques, 1897. Troisième Section. Sciences philos., p. 567 et suiv. Dr. Schütz, « In welchem Zeitpunkte tritt die vernünftige Seele des Menschen in ihren Körper ein ? »

[2] Cfr., ep. 174, n. 7.

tentia sit sanctificata, vereor ne dici non possit, cum e verbis rationibusque ab eo allatis hoc non fluat.

Haec quaestio enim omnino alia est ab hac : « quando *possibilem duxerit* s. Doctor *hanc sanctificationem.* »

Ausim dicere, nunquam serio de illa quaestione cogitasse S. Bernardum contentumque fuisse hoc verissimo, sed vago modo loquendi « post Conceptum in utero iam existentem carnem Mariae esse sanctificatam ».

Quibus omnibus praemissis dictu facile est, quomodo se habeat S. Bernardus ad dogma « Immaculatae Conceptionis Mariae ». Cum enim, ni fallor, decidi non possit, quando praecise secundum illum carnis Mariae sanctificatio locum habuerit, nec hoc, utrum in primo instanti infusionis anima Mariae gratia sanctificante ornata fuerit, necne », aliis verbis, « utrum s. abbas Immaculatam Mariae Conceptionem in sensu dogmatis nostri amplexus sit, necne » dici poterit.

Si constaret, in primo instanti infusioni animae Mariae in eiusdem corpus carnem illius esse sanctificatam contendere S. Bernardum, sicuti patet, tum saltem possibilem eum duxisse huius modi sanctificationem, res taliter se haberet. Tunc ausim dicere, dogma ecclesiasticum eum de facto tenuisse, cum talis carnis sanctificatio in primo instanti infusionis animae fieri eius sententia vix potuisset, quin praedita fuisset gratia sanctificante haec anima, a qua redundasset sanctitas in carnem, eo fortasse fere modo, quo claritas in corporibus gloriosis causatur ex redundantia gloriae animae in corpus [1].

Nec periculum est, ne his s. Doctoris verbis : « solum Dominum Jesum cum sanctitate esse conceptum » [2] tota mea conclusio ruat.

[1] Cfr. S. Thom. Sum. Theol., III p. suppl. q. 85 a. 1.
[2] Cfr., ep. 174, n. 8.

Quid enim hisce velit dicere S. Bernardus, patet ex hoc, quod provocat ad eius (Christi) Conceptum de Spiritu Sancto, videlicet solum Jesum Christum, utpote non secundum legem naturae conceptum, sine concupiscentia esse conceptum.

Revera concupiscentiam seu libidinem hic nomine peccati venire, eruitur ex hoc, quod s. Doctor immediate postquam sic sacram Virginem loquentem fecit : « angustiae mihi sunt undique, melius est tamen, mihi maledictum incurrere et castam manere, quam prius quidem concipere per *concupiscentiam*, quod merito post cum dolore parturiam » [1], hanc concupiscentiam « peccatum » vocat, ita alloquens Mariam : « Concipies, sed sine *peccato*, gravida eris, sed non gravata, paries, sed non cum tristitia [2]. »

Hoc « Concipies, sed sine peccato » correspondere ad unguem illi « concipere per concupiscentiam » vel caecus videt ergo.

Videamus nunc statim hanc sanctificationem quoad effectum suum in capite sequenti.

[1] Cfr. De laud. Virg. M., hom. III, n. 7.

[2] Cfr., *ibid.*, n. 8; cfr. et s. 4, n. 2 in Vig. nat. Dom. et s. dom. infra Oct. Ass. B. M. V., n. 9.

CAPUT II

Privilegium singulare libertatis sanctae Mariae a quovis actuali peccato, fomiteque peccati.

Sacram Virginem a quovis peccato personali fuisse immunem, mellifluus Doctor passim docet.

Brevitatis causa provoco ad haec solummodo eius verba : « ego puto, quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam *ab omni deinceps peccato* custodiret immunem [1]. »

Hoc autem privilegium S. Bernardi sententia Mariae fuisse proprium, ex hisce clare patet : « Quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum [2]. »

Non autem gratis asserit s. Doctor, quod docet, sed pulcherrimam sententiae suae affert rationem sic dictam congruentiae « decuit, inquiens, nimirum, reginam Virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato

[1] Cfr., ep. 174, n. 5. Cfr. etiam s. IV, n. 7 in Ass. B. M. V.; s. d. infra Oct. Ass. B. M. V., n. 3; s. in Nat. B. M. V., n. 7; de laud. Virg. Matr., hom. 2, n. 1 et n. 4, etc.

[2] Cfr., ep. 174, n. 5.

ducere vitam quae, dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret » [1].

Provocat etiam s. Doctor, ni fallor, ad piam, quae audit, sententiam, hisce verbis : « si, ut omnino pium est credere, proprium Mariae delictum non habuit [2]. »

Et merito, nam tempore S. Bernardi haec sententia vix communissima non fuit, quod de prioribus saeculis dici non aeque bene potest, saltem, si, ut iustum est, ratio habetur Ecclesiae Graecae. Plures enim ss. Patres ex aliquibus verbis et scenis evangelicae narrationis concludunt, Mariam peccasse.

Ut unum tantum hic afferam, magnus S. Chrysostomus [3] Virginis Mariae gloriam in hoc videt, quod cum fratribus Domini foris stabat, quaerens Jesum [4], similiterque in verbis eius « vinum non habent » [5].

Sed quanto pulchrius dicit S. Bernardus et iustius : « Gratissima sane gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi, an vero quis putat, quod hac caruerit gratia, quae gratia plena fuit ? Putibunda fuit Maria, ex Evangelio id probamus, ubi enim aliquando loquax, ubi praesumptuosa fuisse videtur ? Foris stabat quaerens loqui Filio, nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut habitationem irrupit, in qua Filius loquebatur [6]. »

Non minus benigne vereque interpretatur s. Doctor illud « vinum non habent » et illud « quid mihi et tibi est

[1] Cfr., *ibid.*; et etiam S. Thom., III, 27, 4, et S. Aug., de nat. et grat. C. 36. Migne P. L. T. XLIV, pag, 267.

[2] S. II, n. 8 in Ass. B. M. V.

[3] Cfr. Migne P. G. T. LIX, p. 130 (1862) et T. LVII, p. 464. Cfr. etiam Suarez, p. III, q. 27, a. 6, disp. 4, sect. 4, n. 8 et seq. (Vives, Paris, 1860. T. XIX, p. 63 ss.) et Petav. de incarn., l. 14, c. 1, n. 3, etc. (Guérin et soc., ed. 1869, T. VII, p. 233.)

[4] Cfr. Matth., XII, 46.

[5] Cfr. Joh., 2, 3.

[6] Cfr., s. d. infra Oct. Ass. B. M. V., n. 10.

mulier », quos tamen locos brevitatis causa hic non affero, cum sint prolixiores [1].

Eo ipso autem, quod S. Bernardus expresse docet immunitatem sacrae Virginis a quolibet peccato personali, dicit, quid sentiat de fomite peccati in illa. Vix enim Mariam liberam fuisse a quolibet peccato tenere potuisset, quin simul exstinctum, eradicatum, seu sublatum, vel saltem consopitum seu ligatum peccati fomitem [2] in ea admisisset, cum libertas a quolibet actuali peccato praesupponat si non sublatum, saltem ligatum peccati fomitem.

Immo, secundum divum Thomam sola ligatio fomitis ad hoc quod Maria nunquam peccaret, non suffecisset, [3] sed complementum huic ligationi accreverit necesse fuit divina providentia non permittens aliquem motum inordinatum ex fomite provenire.

Sed vigilans operum S. Bernardi lector eruet etiam ex uno saltem loco cum S. Bonaventura in prima quam vocant sanctificatione in utero facta fomitem peccati Mariae non sublatum, sed ligatum tantummodo fuisse secundum mellifluum Doctorem.

Et revera, « suspicandum, inquit, non est, quod apertum invenerit angelus ostiolum Virginis, cui nimirum in proposito erat, hominum fugere frequentias, vitare colloquia, ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur » [4].

Ad haec seraph. Doctor advertit : « Ergo videtur, quod occasione accepta ab extrinseco excitari poterat in ea concupiscentia prava ; ergo non fuit exstinctus [5] » (videl. fomes).

[1] Cfr., s. I., n. 2, dom. I post oct. Epiph. et s. II, n. 5, *ibid.*

[2] Cfr., de fomite pecc. S. Th., III, p. 27, q. 3, a. et S. Bonav. (ad Claras aquas) T. III, p. 75.

[3] Cfr. S. Thom., III, p. 27, q. a, 4 ad 1.

[4] Cfr., de laud. V. M., hom. III, n. 1.

[5] Cfr., ad Claras Aquas. T. III, p. 75.

Haec pauca hac de re sufficiant.

Quae docet S. Bernardus de Conceptione, resp. sanctificatione Mariae in utero matris eiusque effectu in epist. 174 sunt ergo, ut paucis resumam, haec :

1. Parentes Mariae genuisse sacram Virginem non sine libidine.

2. In carne sanctae Mariae peccatum, i. e. peccati causam i. e. foeditatem et vitiositatem quandam certe fuisse.

3. Ante Conceptum activum carnem sacrae Virginis sanctificari non potuisse.

4. Etiam in ipso seminali Conceptu locum habere non potuisse carnis Mariae sanctificationem.

5. Post Conceptum foetalem ab infusione animae Mariae ad usque nativitatem fere eiusdem quovis momento fieri potuisse hanc eandemque carnis sacrae Virginis purgationem unoque ex hisce momentis sanctificatam fuisse hanc carnem esse credendum.

6. Sanctificationem hanc effecisse ligationem seu consopitionem fomitis peccati.

Hanc autem quaestionem, utrum s. Doctor Immaculatam Mariae Conceptionem in sensu dogmatis amplexus sit, necne, decisam decretamque minime esse habendam, ex hisce omnibus sequi, certo certius esse videtur.

Sed forte haec ultima asserta a veritate decidunt. Nam ut exhibeatur sensus verus summae ep. 174, — sic forsitan infers, — comparatio oportet instituatur huius verba inter et ea, quae de originali Mariae peccato in sermone secundo festi Assumptionis B. M. Virginis a s. Doctore proferuntur, quaeque clariora sunt, quam ut illis (epistolae) lumen non afferrent, idque tale, ut in dubium amplius vocari non possit s. Bernardum contra Immac. Virginis Conceptionem in sensu dogmatis dixisse, resp. scripsisse.

Ad quae respondeo, sic ad verbum mellifluum Doctorem in memorato sermone dixisse :

« Quod si originalem a parentibus maculam traxit, sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Johanne Spiritu Sancto repletam credere prohibet pietas Christiana; nec enim festis laudibus nascens honoraretur, si non sancta nasceretur. Postremo, cum omnimodis constet, ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam, quippe cum et nunc in baptismate sola hanc maculam lavet gratia, et sola eam raserit olim petra circumcisionis, si, ut omnino pium est, credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde etiam poenitentia longe fuit. »

Agitur primum de verbis « quodsi originalem a parentibus maculam traxit ». Quis est horum verborum sensus? Cum mihi ne minimum quidem dubium sit, quin Ballerini illum iam dudum eruerit, tantum abest, ut novi aliquid hic afferam, ut potius, quomodo ille hunc interpretatus sit textum, ad verbum hic repetam.

« Cum illa, inquit, quae de contracto a Virgine peccato in verbis allegatis dicuntur, ita efferantur, ut plane incertum sit, probetur, necne ea auctori hypothesis, vanissime, uti patet, eius modi locus obicitur, quo suadetur, S. Bernardum communi doctrinae infensum fuisse [1]. »

Quod deinde ad illud « ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam » attinet, dicendum puto, nec haec verba manifestare, quid s. Doctor tenuerit de passiva Mariae Conceptione.

Ratio est, quia idem hoc termino « mundatam esse » dicitur, ac si dictum esset « sanctificatam esse » [2]; atqui duplex distinguenda est absentia sanctitatis, negativa et

[1] Cfr., in cit. op. Ball. totum, cap. xxv, p. 736, etc.; item Palmieri, de Deo creante, p. 712. Denique Sianda « Polem. Lexicon », 67. Controverse, T. III, p. 230 (Augustae Vindel, 1761).

[2] Cfr. Morgott « die Mariologie des hl. Thomas von Aquin, p. 89. (Freib. in Breisg., 1878.)

privativa. Secundum hanc distinctionem sanctificatio transitus esse potest tum e statu privativae, tum e statu negativae absentiae sanctitatis in sanctitatis statum [1].

Immo, ne necesse quidem est, ad hanc provocem distinctionem, cum hoc loco non simpliciter dicatur « mundatam esse Mariam », sed addatur « ab originali contagio ».

Nomine « originalis contagii » verisimiliter nil aliud venit, nisi causa, de qua iam actum est, originalis peccati, a qua mundata est utique *sola gratia,* i. e. mediante anima gratia sanctificante praedita. Tertium comparationis in eo est, quod, sicut in baptismo *sola gratia* nos lavat a peccato originali (formali), ita Mariam *sola gratia* mundavit a peccato originali (materiali). Ergo.

Interpretationem quoque P. Sianda [hic afferre non gravabor vel saltem finem eiusdem] : « Intendit, inquit, itaque Doctor ostendere, quod, sive Maria originalem maculam contraxerit, sive non, fuit excellentius sanctificata prae caeteris Sanctis, et mundata a culpa originali, non quae de facto fuerit in Maria, sed quae fuisset, nisi gratia praevenisset [2]. »

Cum res ita se habeat, patet, Vacandard [3] in praeclarissimo, saepe citato opere saltem exaggerare dicendo, frustra hunc textum quosdam perverse interpretari fierique non posse, ut hae duae sententiae concilientur, videl. sententia a S. Bernardo oppugnata, s. Virginem semper liberam fuisse a peccato, alteraque s. Doctoris, mundatam esse s. Virginem a contagio originali, renuntiandumque esse numerando in asseclis dogmatis Immaculatae Concept. Abbatem Claravallensem.

[1] Cfr., *ibid.*, et apud Berthier, l'Etude de la Somme théol. de S. Thom., p. 296 (Fribourg, Suisse, 1893).

[2] Cfr., op. cit., p. 231.

[3] Cfr., op. cit., p. 93.

Vacandard, ut mihi videtur, in eo errat, quod negat quodammodo, temporis etiam, non naturae tantum posterioritate S. Bernardi sententia Conceptionem passivam activa fuisse posteriorem, pro quo autem asserto positiva allegare argumenta vix poterit.

Si admitteret hoc, quod sec. S. Bern. non naturae, sed temporis etiam posterioritate passiva sequatur activam hominis Conceptionem, dubito, an scribere non potuerit, S. Bernardum contendentem, Spiritum S. concurrere non posse simul cum natura in Conceptione alicuius hominis, efficaciae divinae gratiae, terminos ponere non agnitos a theologis [1]. Hoc enim ad minus non certe continetur in verbis s. Doctoris, ad quae Vacandard provocat, i. e. in illo dilemmate « quomodo namque aut sanctitas », etc., ut ex praedictis satis apparet.

[1] Cfr. Vac., op. cit., pag. 92.

CAPUT III

De virtutibus praeclarissimis B. M. Virginis. Praenotamen.

In hac parte interdum loci afferuntur satis prolixi. Ratio est, quia hic s. Bernardum inducturus sum laudantem et praedicantem beatam Virginem, inquantum hoc est possibile in tam parvo libello. Locos autem sine ullo contextu citans iam a priori finem hunc assequi non possem. Caeterum censeo, vel eos, qui iam saepe saepius opera s. Bernardi legerunt, libentissimo animo iterum lecturos esse hunc illumque locum classicum ex eis desumptum, potiusque ex eiusmodi lectione lucrum quam temporis detrimentum sese facturos esse sperare.

Quibus praemissis.

a) De virtutibus principalibus seu cardinalibus B. M. Virginis.

Has omnes in B. M. Virgine infuisse, sic belle s. Doctor demonstrat : « Utrum autem, inquit, et quatuor principales virtutes tanquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an *fortitudinem* habuerit. Quae nimirum virtus quomodo illi abesse potuit,

quae abiectis saecularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Nisi fallor, haec Virgo est, quae apud Salomonem legitur : Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius. Quae adeo fortis fuit, ut illius serpentis caput contereret, cui a Domino dictum est : Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum, et semen illius, ipsa conteret caput tuum. Porro quod *temperans, prudens et iusta* fuerit, ex angeli collocutione, et sua ipsius responsione luce clarius comprobamus.

Salutata quippe tam venerabiliter ab angelo, ave, gratia plena, Dominus tecum, non se extulit, quasi quae ex singulari gratiae privilegio benediceretur, sed siluit, et qualis esset insolita haec salutatio, secum cogitavit. Qua in re quid nisi *temperans fuit?*

At vero cum de coelestibus mysteriis ab eodem angelo doceretur, diligenter quaesivit quomodo conciperet ac pareret, quae virum utique non cognosceret, et in hoc sine dubio *prudens exstitit.*

Justitiae autem praefert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur. Nam quod iustorum sit confessio, testatur qui ait : « Verum tamen iusti confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo. » Et alibi iustis dicitur : « Et dicetis in confessione, opera Domini universa bona valde. »

Fuit igitur beata Virgo Maria *fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, iusta in confessione* [1].

Apparet ex his, s. Bernardum in principalibus quatuor seu cardinalibus enumerandis virtutibus hic non illarum dignitatem, sed potius illarum successionem et ordinem in

[1] Cfr., s. 52, n. 3. de div.

serie evangelicae, quam exposuit lectionis, ante oculos habuisse.

Fortitudinem Mariae exhibet primo, non quasi haec virtus prima esset inter cardinales, sed quia hanc Mariae virtutem ex alia scriptura, ex alia reliquas eius virtutes principales manifestare voluit.

Secus non dubito, quin has virtutes s. Doctor eodem prorsus modo et ordine, ac divus Thomas enumerasset, i. e. prudentiam sequentes fecisset iustitiam, fortitudinem, temperantiam [1].

Unde maximis effert laudibus Mariae *prudentiam*.

« *Prudens*, inquit, Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua salvamur [2]. »

b) De virtutibus theologicis sanctae Mariae.

De his sacrae Virginis virtutibus passim disseritur a s. Bernardo magnificentissime. Sic v. g. perbelle : « Umbra eius, inquit, caro eius, *umbra eius fides*. Mariae obumbravit proprii Filii caro, mihi Domini fides. Quamquam et mihi quoque quomodo non obumbrat caro, qui in mysterio manduco eam ? *Et sancta nihilominus Virgo fidei et ipsa experta est umbram*, cui dictum est : « Et beata, quae credidisti [3]. »

Invenitur etiam apud s. Doctorem saepius hic loquendi modus : « *Fide concepisse, fide parturiisse s. Virginem* [4].

[1] S. Thom., Summ. theol. II. II, q. 141. a. 8. c.

[2] Cfr., s. de Aquae Ductu n. 7. Cfr. quoad card. virt. etiam hom. II, n. 4 et n. 5, et hom. III, n. 1 et n. 9, de laud. Virg. Matris et de Aquae ductu, n. 9.

[3] Cfr., cant. cant. s. 48. n. 6.

[4] Cfr., s. I, n. 1, in Vig. Nat. Dom. et s. II, n. 4, in Nat. Dom.

Sensum vero horum verborum hic explicare non possum, ne nimis fatigem lectorem prolixitate huius libelli [1].

Quanti autem secundum s. Bernardum momenti *haec Mariae fides fuerit,* indicarint haec eius verba : « Nec mireris, quod *fide eius mediante* unitum dixerim Verbum carni, quando quidem et carnem ipsam de eius carne suscepit. Sane ne hoc quidem praesenti expositioni obviare potest, quod de coelestis regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur, si coelorum regnum fidei Mariae *comparatur,* qua et *reparatur* [2]. » En pulcherrima paronomasia !

Fidem Mariae extollit etiam s. Doctor negando, illa verba « Fiat mihi », etc., dubium sacrae Virginis exprimere. Dicit enim eleganter, utens iterum, quae dicitur paronomasia : « Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Fiat est desiderii signum, *non dubitationis indicium.* Et per hoc quod dicit fiat mihi secundum verbum tuum magis intelligenda est *affectum* exprimere desiderantis, quam *effectum* requirere more dubitantis [3]. »

Profundius licet non profusius loqui videtur s. Doctor de *spe sacrae Virginis.*

Obicienti contra martyrium cordis Mariae « Numquid non sperabat, continuo resurrecturum » respondet : « Et fidenter [4]. »

Sed quomodo hoc *sperabat* sancta Maria secundum s. Doctorem ?

Hoc desumendum esse existimo ex definitione spei communiter recepta. Est enim « Habitus animi divinitus

[1] Cfr. Oswald de hac re « dogm. Mariologie » Paderborn, 1850 ; pag. 154 et seq.

[2] Cfr., s. II, n. 4, in Nat. Dom. cfr. etiam hom. IV, n. 8, de laud. V. M.

[3] Cfr., de laud. Virg. Matris hom IV, n. 11.

[4] Cfr., s. d. i. oct. Ass. B. M. V., n. 15.

infusus, per quem certa cum fiducia aeternae vitae bona auxilio divino obtinenda exspectamus [1] ». Et sic puto voluisse dicere abbatem Claravallensem praedictis verbis, exspectasse s. Virginem Filium suum triumphando pompa nobili victoremque surgendo de funere medium esse praestiturum maxime necessarium ad fidem suam nostramque in divinitatem eiusdem augendam, ex cuius professione non minima ex parte salus nostra aeterna proindeque obiectum spei primarium pendet, vel aliis verbis, vidisse sanctam Mariam in Filii sui resurrectione auxilium divinum idque tale hominibus oblatum, ut certa cum fiducia aeternae vitae bona eodem obtinenda exspectent.

Etiam in illo « Fiat » B. M. Virginis *spes eius*, insinuatur secundum s. Doctorem, scribentem sic : « Nihil obstat intelligi, fiat esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit et sperat [2]. »

Audiamus nunc, quid mellifluus Doctor dicat de illa, quae secundum Apostolum fide et spe maior est virtute [3], videlicet de *charitate Mariae*.

Immediate post haec citata verba. « Et fidenter » leguntur apud eum haec : « Super haec doluit crucifixum ? Et vehementer. Alioquin quisnam tu, frater, aut unde tibi haec sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariae filium patientem ? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit ? Fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit, fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit [4]. »

Praeclara de charitate Mariae verba sunt sine dubio etiam haec : « Quodsi oculus non vidit, nec auris audivit,

[1] Cfr. Billuart in Summ. Th. s. Thom. ad II. II. q. 17-22.
[2] Cfr., de laud. V. M., h. 4. 11.
[3] Cfr. I. ad Cor. XIII, 13.
[4] Cfr., s. d. infra oct. Ass. B. M., n. 15.

nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se, quod praeparavit gignenti se, et quod omnibus est certum, *diligenti prae omnibus* quis loquatur [1] ? »

Nititur secundum s. Doctorem haec eximia Mariae charitas praecipue maternitate eius divina, ut patet tum ex aliis, tum ex his verbis : « Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas ? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis ? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi servabit odorem ? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit ? Nam et ante mentem replevit, quam ventrem, et cum *processit* ex utero, ab animo non *recessit* [2]. »

c) De nonnullis aliis s. Mariae virtutibus.

I. DE AMORE EIUS ERGA PROXIMUM

Intime cohaeret cum Mariae charitate amor illius erga proximum.

S. Bernardi, ut puto, sententia sacra Virgo quam erga nos habet charitatem, nulla ostendit re melius, quam respondendo angelo illud « Fiat », quo acceptavit gratiam divinae maternitatis sibi oblatam, quapropter de huius responsi vi amoris s. Doctorem loquentem inducturus sum.

Sic alloquitur s. Doctor B. Virginem : « Audisti, quia concipies et paries filium, audisti, quod non per hominem, sed per Spiritum sanctum. Exspectat Angelus responsum, tempus est enim, ut revertatur ad Deum, qui misit illum. Exspectamus et nos, o Domina, verbum

[1] Cfr., s. I, n. 4, in Ass. B. M. V.

[2] Cfr., s. I, n. II, in dom. I. p. oct. Epiph., cfr. et s. II, n. 2, in Ass. B. M. V.

miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostrae, statim liberabimur, si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur, in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exsul de paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc caeteri flagitant sancti Patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbrae mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus exspectat. Nec immerito, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod exspectant et superi. Ipse quoque omnium Rex et Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et responsionis assensum, in qua nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, iam magis placebis ex verbo, cum ipse tibi clamet e coelo. O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Numquid non hoc est, quod quaerebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas ? Quid igitur ? Tu es, cui hoc promissum est, an aliam exspectamus ? Immo tu ipsa, non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa exspectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob iam morti appropinquans vitam sperabat aeternam, cum dicebat : Exspectabo salutare tuum, Domine. In qua denique, et per quam Deus ipse Rex noster ante saecula disposuit operari salutem in medio terrae. Quid ab alia speras, quod tibi offertur ? Quid per aliam exspectas, quod per te mox exhibebitur, dummdo praebeas assensum, respondeas verbum ? Responde itaque citius Angelo, immo per Angelum Domino. Responde verbum

et suscipe Verbum, profer tuum et concipe divinum, emitte transitorium et amplectere sempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? Crede, confitere et suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc, ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re ne timeas, prudens Virgo, praesumptionem, quia etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confessioni, viscera *Creatori*. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, et rursus incipias dolens quaerere, quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem [1].

Hic unicus ea de virtute locus sufficiat.

2. DE HUMILITATE SANCTAE MARIAE

Mirum in modum dixerim pingitur a s. Doctore *humilitas sacrae Virginis*, quapropter facere non possum, quin plura illius de hac sanctae Mariae virtute hic afferam dicta.

Primum, quomodo s. Doctor definiat virtutem humilitatis, oportet dicam. « Humilitatis, inquit, talis potest esse definitio. Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit [2]. »

Praemissa hac humilitatis definitione de ipsa hac virtute loquentem s. Doctorem induxerim.

Humilitatem Mariae postquam s. Doctor ex illius taciturnitate [3] ostendit, ex eiusdem etiam probat sermone. « Audierat, inquit, « quod ex te nascetur sanctum, vocabitur

[1] Cfr. De laud. Virg. Matris hom. IV, n. 8, cfr. etiam serm. d. infra oct. Ass. B. M. V, n. 2, et s. I, n. 2, in dom. I post oct. Epiph.

[2] Cfr. « De gradibus humil. et superbiae » c. 1, n. 2.

[3] Cfr., s. d. i. oct. Ass. B. M. V., n. 10 et n. 11.

Filius Dei, » et nihil aliud, quam ancillam eius se esse respondit. Inde ventum est ad Elisabeth, et continuo Virginis gloria singularis eidem per spiritum revelatur. Denique et mirabatur personam venientis, dicens : « Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me ? » Commendabat et vocem salutantis adiciens : « Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo. » Et beatificabat fidem credentis : « Beata, inquiens, quae credidisti, quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino. » Magna quidem praeconia, sed et devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas Matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exsultasse in gaudio, sed exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, et ipse quoque, tamquam amicus sponsi, gaudio gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis quae credidisset, sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernae pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Verumtamen numquid putamus, Fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per spiritum utique loquebatur, errasse ? Absit. Beata plane, quam respexit Deus, et beata, quae credidit [1]. »

Sequentibus verbis rationem congruentiae tantae humilitatis sacrae Virginis affert dicens : « Ut quae Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis, ut esset et mente, accepit et humilitatis [2]. »

Sufficiant haec de humilitate Mariae, praesertim cum haec sacrae Virginis virtus fere semper a s. Doctore cum

[1] Cfr., *ibid.*, n. 12.

[2] Cfr., de laud. Virg. M., hom. II, n. 2.

ipsius virginitate, ut iam ex ultimo apparet citato, connectatur, ita, ut ad hanc virtutem oratio debeat redire, ubi s. Bernardum loquentem facturus sum de Mariae Virginitate, quod statim fit.

3. DE VIRGINITATE SANCTAE MARIAE

Declarans illa sacri eloquii verba : « Ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph », interrogat s. Doctor [1] : « Quae est haec virgo, tam venerabilis, ut salutetur ab angelo, tam humilis, ut desponsata sit fabro ? Pulchra permixtio virginitatis et humilitatis nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem et virginitas exornat humilitatem. »

Adhibens anaphoram pergit deinde s. abbas explicans illud « Ad Virginem » sic : « Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit apostolus, mente et corpore sanctam, nec noviter, nec fortuitu inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab angelis servatam, a Patribus praesignatam, a prophetis promissam [2].

Quasi timens denique, ne non satis praedicarit hanc praeclaram Mariae virtutem, per modum Apostrophes sic alloquitur sacram Virginem : « O virgo prudens, o virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem ? Quae lex, quae iustitia, quae pagina veteris Testamenti vel praecipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam ? Ubi legeras, beata Virgo « Sapientia carnis mors est », et « Curam carnis ne perfeceritis in desiderio ? » Ubi legeras de Virginibus, quia cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest,

[1] Cfr., hom. I, n. 5, de laud. Virg. Matris.
[2] Cfr., hom. II, n. 4, de laud. Virg. Matris.

et sequuntur agnum, quocumque ierit? Ubi legeras « Laudatos esse, qui se castraverunt propter regnum coelorum »? Ubi legeras, « In carne enim ambulantes non secundum carnem militamus » et « Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit melius facit »? Ubi audieras, « Volo, vos omnes esse sicut et meipsum », et « Bonum est homini, si sic permaneat secundum meum consilium »? De virginibus, inquit, praeceptum non habeo, consilium autem do. Tu vero non dicam praeceptum, sed nec consilium, nec exemplum, nisi quod unctio te docebat de omnibus, ac Sermo Dei vivus et efficax ante tibi factus magister quam filius, prius instruxerit mentem, quam induerit carnem [1] ».

Saepius etiam dicit s. Doctor, sanctam Mariam *vovisse* virginitatem. Verum dixerit. Sed quomodo hoc probat? Demonstrat hoc ex verbis : « Quomodo fiet istud, quoniam virum con cognosco? » Pluries saltem a s. Doctore, si apud eum haec legamus evangelica verba, contenditur, vovisse virginitatem sanctam Mariam. Nec unicus est, nec est primus ss. Patrum et Doctorum hoc docentium idque ratione eorundem sacrarum litterarum verborum [2], proferentium.

« Non dubitat, inquit, de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim quaerit an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat : Cum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, ut fiat istud? Si oportuerit me frangere *votum,* ut pariam talem filium, et gaudeo de filio, et doleo de proposito, fiat tamen voluntas eius. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique, si placuerit

[1] Cfr., hom. III, n. 7, de laud. Virg. Matris.

[2] Cfr., v. gr. S. August. l. d. s. Virg., c. IV. Migne P. L., t. XL, p. 398 (1845), s. Thom., p. III, q. 28, a. 4 summ. Theol.

ei, impossibile non erit, tunc scio vere, quia respexit humilitatem ancillae suae. Quomodo ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco [1] ? »

Et revera, bono sensu destituta esse haec verba videantur, si votum virginitatis sanctae Mariae iisdem esse expressum negetur, si non concedatur, Mariam illo « Quomodo » angelo dicere voluisse, quoniam virum non cognoscam, nec cognoscere possum obstante virginitatis voto.

Sed licet laudanda sit virginitas sanctae Mariae, illius humilitas tamen magis necessaria fuit.

Ad verba evangelii « Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph » pulcherrime advertit s. Doctor : « Audis virginem, audis humilem, si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista praecipitur. Ad illam invitaris, ad istam cogeris. De illa dicitur » Qui potest capere capiat, « de ista dicitur ». Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum coelorum. » Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari, sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quae virginitatem deplorat amissam, sine humilitate autem, audeo dicere, nec virginitas Mariae placuisset. Super quem, inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum ? Super humilem dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam spiritus sanctus non requievisset. Si super eam non requievisset, nec impraegnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet ? Patet itaque, quia, ut de spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem ancillae suae Deus, potius quam

[1] Cfr., hom. 4. 3. de laud. V. M., cfr. etiam hom. 2. 1. de laud. V. M. cfr. s. 4, n. 6, in Ass. B. M. V., cfr. de Aquae Ductu, n. 10.

virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat, quia etiam, ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit [1]. »

Ex his verbis fluit, humilitatem Mariae s. Bernardi sententia condicionem sine qua non maternitatis ipsius divinae fuisse [2].

Loquatur nunc nobis s. Doctor de ea Mariae virtute, quam collactaneam [3] prioris tam belle appellat, i. e. de *mansuetudine sacrae Virginis.*

4. DE MANSUETUDINE SACRAE VIRGINIS

Quam mansuetam fuisse probat s. Doctor ex eo, quod a Filio suo increpata in nuptiis siluit [4]. « Et is quidem, inquit, (in nuptiis ad Filium et ministros) sermo certissimus index ingenitae mansuetudinis et virginalis verecundiae fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Ubi sane increpata est á Filio, tamquam mitis et humilis corde nec illi respondit, nec tamen desperavit, ministros admonens facere quod diceret eis. »

« Rore perfusum gratiae monstrat dulcor eloquii » lego in officio festi s. Doctoris.

Hic dulcor eloquii melliflui Bernardi nobis cum ex aliis, tum, ut puto, ex virtute *misericordiae Mariae* ab illo depicta manifestatur.

5. DE MISERICORDIA SACRAE VIRGINIS

« Sileat, inquit, *misericordiam* tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi memi-

[1] Cfr., hom. 1. 5. de laud. V. M.
[2] Cfr. Prooemium gener., 9.
[3] Cfr., s. d. i. o. A. B. M. V. n. 12.
[4] Cfr., s. d. i. o. A. B. M. V., n. 10.

nerit defuisse. Nos quidem servuli tui caeteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur saepius, crebrius invocamus. Haec est enim, quae totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim, pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dictum est : « Ne timeas Maria, invenisti gratiam », utique quam quaerebas. Quis ergo misericordiae tuae, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare ? Nam longitudo eius usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas eius civitatis supernae invenit restaurationem et profundum eius sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima et piissima charitas et *affectu compatiendi, et subveniendi abundat effectu,* aeque locuples in utroque [1]. »

Secundum Vacandard [2] sic dictum « Memorare » s. Bernardi nil aliud est, nisi huius loci coniunctio cum hoc : « Jam te, mater misericordiae per ipsum sincerissimae tuae mentis affectum tuis iacens provoluta pedibus luna, mediatricem sibi apud solem iustitiae constitutam, devotis supplicationibus interpellat, » etc. [3].

6. DE MAGNANIMITATE SANCTAE MARIAE

Magnanimitas sanctae Mariae secundum s. Doctorem ex eiusdem fide praecipue elucet.

[1] Cfr., s. 4. n. 8. in Ass. B. M. V.
[2] Cfr., op. cit., pag. 103.
[3] Cfr., s. d. i. o. Ass. B. M. V., n. 15.

« Speciali, inquit, quodam splendore in Maria coruscant... magnanimitas credulitatis [1]. »

Quod probat pergens : « Cum in sua aestimatione tam humilis esset, nihilominus et in promissionis credulitate magnanimis, ut, quae nihil aliud quam exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc mysterium, ad admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, et veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram [2]. »

7. DE MARTYRIO CORDIS MARIAE

De martyrio denique cordis Mariae s. abbas sic se exprimit : « Martyrium sane Virginis » tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa dominicae passionis historia commendatur. Positus est hic, ait sanctus senex de parvulo Jesu, in signum, cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransivit gladius. Vere tuam, o beata Mater, animam gladius pertransivit. Alioquin nonnisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus, omnium quidem, sed specialiter tuus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius nec mortuo parcens, cui nocere non posset, aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plus quam martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plus quam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus : « Mulier, ecce Filius

[1] Cfr., s. d. i. o. Ass. B. M. V. n. 7.

[2] Cfr., s. d. i. o. Ass. B. M. V., n. 13.

tuus ? » O commutationem ! Johannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedaei pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero ! Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret haec auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit ? Non miremini, Fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit, se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariae visceribus, longe id sit etiam a servulis eius. » [1].

Sic omnes aliae sacrae Virginis virtutes a s. Bernardo allatae hic induci possent, si hoc admitteret huius libelli circuitus. Quae maioris sunt momenti, silentio praeterire nec volui, nec potui.

Antequam tamen huic capiti, huic parti finem imponam, necesse erit mentionem faciam eius gratiae plenitudinis gradus, ad quem s. Virgo secundum s. Doctorem promota fuit, cum angelus eam salutavit illo : « Ave gratia plena » ac proinde tempore immediate divinam illius maternitatem antecedente.

Tanta tunc inerat beatae Virgini s. abbatis sententia gratiae plenitudo, ut ipse serio cogitasse matureque deliberasse videatur, quis sit sensus illius : « Spiritus sanctus superveniet in te », etc., videlicet, utrum liceat haec verba intelligere etiam augmentum gratiae proprie dictae in Mariae anima, an referantur eadem necesse sit exclusive ad gratiam sequentem, perfundentem eius ventrem.

« Superius, inquit, dicta est fuisse gratia plena, et nunc quomodo dicitur Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi ? Numquid potuit repleri gratia, et necdum habere Spiritum sanctum, cum ipse sit dator gratiarum ? Si autem iam Spiritus sanctus in ea erat,

[1] Cfr., s. d. i. o. Ass. B. M. V., n. 14 et 15.

quomodo adhuc tamquam noviter superventurus repromittitur? An forte ideo non dixit simpliciter, veniet in te, sed addidit super, quia et prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur propter abundantioris gratiae plenitudinem quam effusurus est super illam? At vero cum plena iam sit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest, quomodo et ante plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia eius tantum repleverat mentem, sequens vero etiam ventrem perfundere debet, quatenus scilicet plenitudo divinitatis, quae ante in illa, sicut et in multis Sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo Sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat?» [1].

[1] Cfr., hom. 4, n. 3, de laud Virg. Matris. Cfr. etiam de Aquae Ductu, n. 5 et n. 12.

PARS SECUNDA

Mariae plenitudo gratiae in maternitate divina

A

GRATIA DEI MATRIS MARIAE IN TERRA DEGENTIS

CAPUT I

De existentia gratiae maternitatis divinae in Maria.

Matrem primum in stricto proprioque sensu *esse Mariam,* eruit s. Doctor praecipue ex illo [1] : « egredietur virga de radice Jesse et flos de radice eius ascendet. »

« Alieni sint a nobis, inquit, qui Christi a nobis carnem alienare conantur, novam creatam in Virgine, et non de Virgine sumptam impie asserentes. Pulchre pro-

[1] Cfr. Is. II, I.

pheticus spiritus longe ante occurrit huic sententiae, immo blasphemiae impiorum : egredietur, inquiens, virga de radice Jesse et flos de radice eius ascendet. Dixisse poterat, et flos de virga, sed maluit, de radice : ut unde virgam, inde florem duxisse originem demonstraret. Inde igitur sumpta caro, unde orta Virgo, nec nova in Virgine, quae prodiit ex radice [1]. »

Dei autem Matrem esse Mariam, probat ex evangelio, cum ex illo [2] « unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me ? » tum ex verbis [3] « Spiritus S. superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. »

« Mirabatur, inquit, personam venientis, dicens : unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me [4] ? »

Et alio loco : « Attende, inquit, quaeso, quam reverenter dixerit, quod nascetur ex te Sanctum. Ut quid enim ita simpliciter Sanctum, et absque additamento ? Credo, quod non habuit, quid proprie digneve nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima Unico Patris erat uniendum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite, Sanctum, quia quidquid sit illud quod Virgo genuit, sanctum procul dubio, ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem [5]. »

Contra eum autem, cui forsitan hic loquendi modus melius placet, S. Bernardum potius modum probandi

[1] Cfr., l. V. de consid., c. 10, n. 23 ; *item*, s. II, n. 5 in Ann. B. M. V.
[2] Cfr. Luc. 1, 43.
[3] Cfr. Luc. 1, 35.
[4] Cfr., s. dom. infra Oct. Ass. B. M. V., n. 12.
[5] Cfr. In laud. Virg. Matr., h. IV. n, 5.

divinam Mariae maternitatem indigitasse, quam hanc eandemque stricte probasse, nil dixerim.

Pulcherrime etiam respicit S. Bernardus triplex genus potentiae in conceptione Verbi, seu in Mariae maternitatis divinae gratia quodammodo, ut hoc loco id afferam, licet non ad rem pertineat.

« Verbum, inquit, quod erat in principio apud Deum, et Deus erat, anima, quae de nihilo creata est et ante non erat, caro de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio, qualis nulla iam caro erat, vinculo indissolubili in personae coeunt unitatem. Habes in his triplex genus potentiae : quod non erat, creatum ; quod perierat, reparatum, quod super omnia erat, paulo minus ab angelis minoratum [1]. »

[1] Cfr., s. II, in Nativ. Dom. n. 4; *item*, s. III, in Vigilia Nativ. Dom., n. 8.

CAPUT II

De tempore, quo Mater Dei facta est Maria.

Quando Mariae virginitati accessit S. Bernardi sententia divina maternitas? Si fidem clarissimo Maldonato haberemus, dicendum nobis esset, angelo Mariam salutante verbis « Dominus tecum » Verbum Dei iam fuisse in ea secundum mellifluum Doctorem conceptum.

« Dominus tecum ». Quidam, inquit, hoc verbum de Conceptione Christi intelligi volunt, quasi Dominus cum Maria dicatur esse, quia Christus aut iam conceptus cum illa erat, aut paulo post concipiendus erat futurus. In priori sententia Hieronimus et Bernardus sunt [1].

Sed hoc quantum scio, S. Bernardus nullibi docet. Si putasset, angelum denotare voluisse verbis « Dominus tecum » Verbum Dei in Maria iam conceptum primum sine dubio hoc « Dominus tecum » Filium intellexisset, non Patrem.

Sed contra. Ergo. Sic enim apud s. Doctorem invenimus.

« Quod autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit

[1] Cfr. Mald. Comment. in Lucam (Mogunt. 1854, p. 35.

(fuerit dico per praesentiam majestatis) ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur nuntius coelestis, qui ei arcana mysteria reserans ait : « Ave gratia plena, Dominus tecum ». Et post pauca : « Spiritus S. superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum : habes Patrem et Filium et Spiritum sanctum [1]. »

Deinde illa verba : « Spiritus S. », etc., sequuntur haec : « Dominus tecum » et tamen illa s. Doctor sic explicat, ut non praesupponatur ante illa Conceptio Christi. Ergo.

« Dicatur ergo, inquit, Spiritus S. superveniet in te, qui utique sua potentia foecundabit te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, hoc est illum modum, quo de Spiritu S. concipies, Dei virtus et Dei sapientia Christus sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget et occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur et tibi [2]. »

Quomodo, tertio, quaeso, s. Doctor illud, « fiat mihi secundum verbum tuum » sic exponere potuisset, ut explicatum illud invenis apud eum, si Maldonat verum diceret ?

« Fiat mihi de Verbo secundum verbum tuum. Verbum, quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum. Fiat, obsecro, mihi Verbum non prolatum, quod transeat, sed conceptum, ut maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed et visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum et mutum, sed incarnatum et vivum, hoc est non mutis figuris, mortuis in pellibus exaratum, sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum, et hoc non

[1] Cfr., s. 52, de div., n. 2.
[2] Cfr., de laud. Virg. M., hom. 4, n. 4.

mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porro multifariam multisque modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis, et aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur : mihi autem oro, ut in utero fiat iuxta verbum tuum. Nolo autem, ut fiat mihi aut declamatorie praedicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatorie somniatun, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. Verbum igitur quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur et mihi fieri secundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum [1].

Quomodo aliis verbis orantem fecisset S. Bernardus sacram Virginem, ut Dei Mater fieret illo « Fiat » si tunc iam concepisse eam Verbum divinum credidisset? Ergo Maldonatus in hoc erravit, dicendumque est, sec. S. Bernardum post illud « Fiat » Mariam factam esse Dei Matrem. Nihil enim aliud restat dicere.

[1] Cfr., hom. 4, n. 11, de laud. Virg. Matr.

CAPUT III

De differentia gratiae maternitatis divinae ab aliis sanctae Mariae gratiis.

Quod attinet ad differentiam divinae maternitatis gratiae ab aliis Mariae gratiis, dicendum est, ea principaliter Mariam secundum s. Doctorem differre ab omnibus aliis gratia plenis. Et revera, licet, ut vidimus, ad minus magis eam sanctificatam esse dicat in utero Jeremia Johanneque Baptista, immo probabiliter eam eximat a peccato originali, iterum immunem eam, eandemque solam declaret a quovis actuali peccato, fomitemque peccati in ea ligatum a prima sanctificatione fuisse affirmet, licet denique tanta doceat praeditam sacram Virginem fuisse gratiae plenitudine antequam iam facta fuerit Dei Mater, ut vix augeri potuerit mensura gratiae in mente eius adveniente maternitatis divinae gratia, tamen, ubi, ut videtur, differentiam indicare vult gratiae plenitudinem inter et plenitudinem gratiae, haec omnia non memorat, sed solummodo gratiam maternitatis divinae.

« Legimus, inquit, in actibus apostolorum et Stephanum plenum gratia, et Apostolos fuisse repletos Spiritu S.,

sed longe dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter quemadmodum in Maria, nec illi conceperunt de Spiritu S. quomodo Maria [1]. »

Haec est ergo principalis differentia alias gratias Mariae inter eiusque maternitatis divinae gratiam, quod haec praecipue Mariam gratia plenam distinguat ab omnibus caeteris gratia plenis.

[1] Cfr., de laud. Virg. Matr. hom. 3, n. 2.

CAPUT IV

De dignitate huius gratiae.

Non tantum differt superveniente Spiritu Sancto Maria ab omnibus, quos gratia plenos sacrae exhibent litterae, sed etiam excellit hac gratia omnibus talibus, exaltaturque supra genus humanum, ascendit usque ad angelos et ipsos quoque transcendit et coelestem omnem supergreditur creaturam [1]. Consequenter maximae est gloriae sacrae Virgini, secundum s. Doctorem, effectam fuisse Matrem Dei.

« Nam, inquit, si iuxta Salomonem Filius sapiens gloria est patris, quanto magis gloriosum est Matrem ipsius effici Sapientiae [2]. » Similiter comparans Mariam cum angelis dicit : « Cui enim angelorum aliquando dictum est « Spir. S. superveniet in te et Virtus Altissimi obumbrabit tibi ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei ? » Denique Veritas de terra orta est, non de angelica creatura, nec angelos, sed semen Abrahae apprehendit. Magnum est angelo, ut minister sit Domini, sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit Mater. Foecunditas itaque Virginis supereminens gloria est tantaque excellentior angelis facta munere singulari, quanto differentius prae ministris nomen Matris accepit [3]. »

[1] Cfr., de Aquae ductu, n. 12 et n. 9.
[2] Cfr., hom. 4, 1 de laud. V. M.
[3] Cfr., de Aquae ductu, n. 12.

CAPUT V

Privilegium singulare virgineae maternitatis Mariae.

Mariae maximum gratiae privilegium coniunctum cum divinae eius gratia maternitatis, immo inseparabile quodam modo ab ea fuit virginitas maternitate inviolata.

Necessitas non quidem absoluta, sed s ic dicta convenientiae seu congruentiae hoc secundum s. Doctorem privilegium a Deo exegit. « Deo, inquit, huius modi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur, talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum [1]. »

Hoc gratiae privilegium S. Bernardus iam in lege Mosaïca praedictum invenit. Dicit enim : « Putas, quia dicturus Moyses mulierem, quae peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemiae crimen incurrere, et idcirco praemiserit « suscepto semine [2] ? » Alioquin nisi parituram praevidisset sine semine Virginem, quae necessitas erat, de suscepto semine fieri mentionem ? [3]. »

Hoc privilegium Mariae proprium est. « Mariae privi-

[1] Cfr., de laud V. M., h. 2, 1, cfr. etiam, s. in Ass. B. V., 4, n. 5.
[2] Cfr. Levit. cap. XII.
[3] Cfr. In Purif. B. M. V., s. III., n. 1.

legium est, inquit, S. Bernardus, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare est, sed continuo indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem. Quod si et illud adicias, cuius mater ? Quae iam poterit lingua, etiamsi angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem, matrem autem non cuiuscumque, sed Dei ? Duplex novitas, duplex praerogativa, duplex miraculum, sed digne prorsus, aptissimeque conveniens. Neque enim filius alius virginem, nec Deum decuit partus alter [1]. »

Saepissime s. Doctoris sermo ad hoc Mariae privilegium recurrit nec infrequenter invenimus apud eum illud : « unum est, in quo nec primam similem visa est, neque habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore [2]. » Imo ad eam huius gratiae privilegii S. Bernardus progressus est laudem, ut semel illud « gratia plena » ita exposuerit, quasi maternitatem Mariae hac Angelus salutatione significasset virgineam.

« Bene gratia plena, quae et virginitatis gratiam tenuit et insuper foecunditatis gloriam acquisivit [3]. »

Quae satis probant quantus s. Doctoris sententia honos Mariae sit hoc gratiae privilegium.

[1] Cfr., s. 4, n. 5, in Ass., cfr. quoad hanc decentiam etiam.

Suarez, Tom. XIX, p. 172, etc. (ed. Vives, 1860) et Perrone Praelect. Theol. Vol. V., p. 188, etc.

[2] Cfr., s. 1, n. 1, in Vig. Nat. Dom. s. 3, n. 9, *ibid.*, s. 4, n. 4, *ibid.*, s. Dom., infra Oct. Ass. n. 9, etc.

[3] Cfr., de laud. V. M., h. 3, n. 3.

CAPUT VI

De aliis gratiae privilegiis Mariae cum praedicto coniunctis.

Memoratum gratiae privilegium virgineae sanctae Mariae Maternitatis comitabantur alia plura secundum s. Doctorem eaque pariter singularia.

Primum in eo consistit, quod sola sine peccato i. e. sine concupiscentia seu libidine, ut alibi mellifluus Doctor clare dicit, Maria concepit. « Concipies, sed sine peccato » [1], « quae sola sine libidinosa voluptate concepit » [2].

Sed et concepit sine pudore sec. eundem.

« Quid gloriosius, quam sancta et sincera conceptio, in qua nihil pudoris est? [3] »

Portabat Maria etiam eiusdem sententia sive gravamine et taedio.

« *Gravida* eris, sed non *gravata* », dicit s. Doctor [4]; sic dicta utens paronomasia, et iterum [5] : « iure etiam illud molestissimum taedium, quo reliquae omnes gravidae mulieres laborare noscuntur, sola non sensit. »

Sed non tantum asserit, sed etiam probat hoc ex ipsis sacris litteris addens immediate post ultima quae citavi verba : « unde et in ipso suae conceptionis initio, quando

[1] Cfr., de laud. V. M., n. 8.
[2] Cfr., de Dom. i. Oct. Ass., n. 9.
[3] Cfr. S. 4, n. 2, in Vig. Nat. Dom.; *ibid.*, n. 3 et 4.
[4] Cfr., de laud. V. M., h. 3, n. 8, et s. Dom. i. O. Ass., n. 9 et 10.
[5] *Ibid.*, n. 9.

potissimum caeterae mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, ut Elizabeth ministraret. »

Peperit denique sacra Virgo sine dolore et tristitia.

« O partus solus sine dolore » [1] et iterum : « paries, sed non cum tristitia [2] ».

Etiam hoc privilegium probatum invenit S. Bernardus in evangelio.

« Ascendit, inquit, Bethlehem, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur. Sic et in partu, quam lucidum est, quod nova exsultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres a communi maledicto et dolore parturientium aliena [3]. »

Sed facere non potest, quin etiam afferat pulcherrimam convenientiae huius privilegii rationem dicens : [4] « nec mirum, Fratres, si dolorem non intulit Matri, qui dolores totius mundi tulit secundum quod Isaias ait : « quia vere languores nostros ipse tulit »; duo sunt, quae timet humana fragilitas, pudor et dolor. Utrumque Christus tollere venit, unde et utrumque suscepit, quando, ut caetera sileam, morte, et morte turpissima condemnatus est ab iniquis. Itaque ut fiduciam nobis daret, quod tolleret haec a nobis, prius Matrem suam immunem ab utroque servavit, ut nec in conceptu quidquam pudoris, nec in partu quidquam doloris existeret. »

Hisce subordinatis priori privilegio praerogativis Mariae finem imposuerim secundae partis parti primae.

[1] Cfr. S. i. n. i. in Vig. N. Dom. ; cfr. et s. 4, n. 3 et 4 in Vig. Nat. Dom. et hom. 2, 5 de laud. Virg. M.

[2] Cfr., hom. 3, 8, de laud. V. M.

[3] Cfr. S. d. i. O. Ass., n. 9.

[4] Cfr. S. 4, n. 3, in Vig. Nat. Dom.

B

GLORIA MATRIS DEI MARIAE TRIUMPHANTIS IN COELO

CAPUT I

Susceptio corporis sacrae Virginis Mariae in coelum.

PRAENOTAMINA

Supponitur hic, mortuam esse Dei Matrem, quod, quantum scio, si excipiamus s. Epiphanium, communiter sancti Patres docent. Sic enim hic scribit : « Οὐ πάντως δὲ ὁρίζομαι τοῦτο, καὶ οὐ λέγω, ὅτι ἀθάνατος ἔμεινεν. ἀλλ οὔτε διαβεβαιοῦμαι, εἰ τέθνηκεν [1]. »

Si res ita se habet, Harnack, quo iure dicat, exeunte IV saeculo iam creditum fuisse, Mariam non mortuam, sed miraculoso modo terris esse semotam, non intelligo [2].

[1] Cfr., haer. 78, n. 11. Migne P. G. T. XLII, p. 716 (1863).

[2] Cfr. Lehrbuch der Dogmen-Geschichte. II. Bd. S. 449 (3. Auflage 1894. Freib. im Breisg.) « Am Ende des IV. Jahrhdts. *glaubte man schon, dass Maria nicht gestorben*, sondern durch ein Wunder der Erde entrückt worden sei. »

Pro certo deinde hic habetur, non martyrio consummasse sanctam Mariam vitam, sed naturali morte esse mortuam. Hoc, quod sciam, omnes ad unum usque tenent; S. Bern. autem hoc docet negans martyrium corporis Mariae implicite, loquendo videlicet tantummodo de cordis ipsius martyrio, de quo loquentem iam eum induximus.

His praemissis iam quaestio movenda est, utrum s. Doctor tradiderit susceptionem corporis Mariae in coelum post beatam eius mortem, necne?

Ad quod: Mellifl. Doctor, quod accepit, tradidit, videlicet sacrum Mariae corpus esse in coelo.

Probatur haec thesis sic:

a) In sermonibus de Assumptione B. M. Virginis loquitur S. Bernardus semper de susceptione *Mariae* in coelum, consequenter et de corporea. Nam quid aliud significant haec et his similia: *Virgo ascendens* [1]. « Eam inquirimus civitatem, ad quam hodie *Maria* benedicta pervenit [2] » « Praecessit nos *Regina nostra* [3] », etc., quam *hominem Mariam*? ergo.

Nec dicas, ita loqui posse s. Doctorem etiam in sententia opposita, cum nulla omnino adsit ratio, non stricte, non secundum regulam hermeneuticam principalem, secundum quam auctor quilibet *proprie* loqui praesumendus est, *nisi de contrario constet*, haec S. Bernardi verba accipiendi et explicandi.

Proprie autem, ut iam insinuavimus, allatae expressiones *hominem Mariam* designant, non eius solam animam; tantummodo synecdochice loquendo uti quis posset talibus vocabulis ad *partem* naturae Mariae exprimendam, videlicet eius animam.

[1] Cfr. S. 1 in Ass. B. M. V., n. 1.
[2] Cfr., *ibid.*
[3] Cfr., *ibid.*

b) Dicit s. Doctor « quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus, quaenam illa fuerit coelestium exsultatio, cum et *vocem audire, et videre faciem*, et beata eius frui praesentia meruerunt [1] ».

Haec verba faciunt, ni fallor, manifeste ad meam thesim.

Sed, quid hic nomine « coelestium » venit, qui *vocem Mariae audire, et videre faciem eius* meruerunt? Pluralis « coelestium » supponere videtur, complures secundum S. Bernardum iam fuisse in coelo cum corporibus suis tempore ingressus Mariae in sanctam civitatem. Quaestio nunc ea est, an possit admitti, hoc s. Doctorem putasse?

Mihi videtur, idque sentio, intellegendos esse hos « coelestes » *resurgentes cum Christo*, cum hi nonnullorum Patrum sententia in coelo iam sint cum corporibus [2].

Proinde cur haec verba « vocem audire » « videre faciem », etc., non sint strictae interpretationis, ratio non suppetit. Consequenter S. Bernardus docuit, corpus Mariae non vidisse corruptionem susceptumque esse in coelum.

c) Clarius autem sanctus Abbas sententiam suam exprimit : « felicia prorsus, inquiens, oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum numquid feliciora censebimus, quae *ab ore* sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriae, epithalamium canens et dicens : « osculetur me osculo oris sui [3] » Vereor enim, ne non potuerit osculari os sedentis in dextera Patris Mariae animam.

[1] Cfr. S. I, in Ass. B. M. V., n. 1.

[2] Cfr. Billuart ad quaestionem [S. Thom., p. III, q. 53, a. 3 ad 2] : ubi afferuntur SS. PP. sententiam hanc sec. S. Thom. minus probabilem amplectentes.

[3] Cfr., s. I, in Ass. B. V. M., n. 4.

Iterum dicit s. Doctor « nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine [1] », sine dubio *ascendente* nam de hac est sermo.

Sed ad hominis naturam pertinet aeque bene corpus ac anima; ut ergo natura hominis in Virgine, quae ascendit, supra immortales spiritus exaltata sit, videtur et corpus Mariae in coelum iam esse susceptum oportere ergo.

[1] Cfr., s. IV, in Ass. B. V. M., n. 1.

CAPUT II

Gloria sacrae Virginis Deique Matris in coelo.

Gloria sanctae Mariae in coelo secundum S. Bern. *primum* tanta est, ut quodammodo civibus coeli illa accreverit bonum accessorium, scilicet gaudium et laetitia magna nimis.

« Virgo, inquit, hodie gloriosa coelos ascendens, *supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis*. Haec est enim, cuius salutationis vox et ipsos exsultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus, quaenam illa fuerit coelestium exsultatio, cum et vocem audire et videre faciem et beata eius frui praesentia meruerunt [1]? »

Haec gloria *secundo* tanta est, ut ineffabilis dicenda sit utpote inexcogitabilis.

« Quem in castellum mundi huius intrantem prius ipsa susceperat, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta gloria, cum quanta putas exsultatione! Nec interris locus

[1] Cfr., s. I, n. 1, in Ass. B. V.

dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit; nec in coelis regali solio, in quo Mariam hodie Mariae Filius sublimavit. Felix nimirum utraque susceptio, *ineffabilis* utraque, quia utraque inexcogitabilis est [1]. »

Maxime est *etiam* nobis utilis haec gloria. « Illo enim, inquit s. Doctor, ascendit fructus terrae sublimis, unde data optima, et dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata, *dabit ipsa quoque dona hominibus*. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina coelorum est, misericors est; denique Mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare. Nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum caritatis transisse Mariae viscera, in quibus ipsa quae ex Deo est Caritas novem mensibus corporaliter requievit [2]. »

Et fere immediate antea dicit s. abbas : « praecessit nos Regina nostra, praecessit et tam gloriose suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam servuli clamantes : trahe nos post te; in odorem unguentorum tuorum curremus. Advocatam praemisit peregrinatio nostra, quae tanquam Judicis Mater, et mater misericordiae, suppliciter et efficaciter salutis nostrae negotia pertractabit [3]. »

Insinuata est denique haec Mariae gloria eiusdem sententia ab Ecclesia in evangelica festi Ass. B. M. Virginis lectione.

« Ut quid enim, inquit s. Doctor, ea hodie in ecclesiis Christi evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salvatorem? Credo, ut haec, quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus

[1] Cfr., s. I, n. 3, in Ass. B. V.
[2] Cfr., s. I, n. 2, in Ass. B. M. V.
[3] Cfr., s. I, n. 1, in Ass. B. M. V.

aestimetur, imo ut iuxta illius inaestimabilem gloriam inaestimabilis cognoscatur et ista. Quis enim, etiamsi linguis hominum angelorumque, loquatur, explicare queat, quemadmodum superveniente Spiritu obumbrante virtute Altissimi, caro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, et Dominus majestatis, quem non capit universitas creaturae intra virginea sese clauserit viscera factus homo? Sed et illud quis vel cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie mundi Regina processerit, et quanto devotionis affectu tota in eius occursum coelestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriae canticis sit deducta, quam placido vultu, quam serena facie, quam laetis amplexibus suscepta a Filio, et super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quae tantum decuit Filium [1]? »

Si nunc quaestionem movemus, quaenam sint rationes tantae gloriae sacrae Virginis sancto Doctori probatae, dicendum puto, *unam* esse maternitatem eius divinam. Hoc patet ex ultimis citatis verbis « cum eo honore », etc.

Eruitur hoc etiam ex his :

« Quid mirantur (coelestis curiae principes) de terra deserta Mariam ascendere deliciis affluentem? Mirentur potius pauperem Christum de coelestis regni plenitudine descendentem. Longe enim ampliori miraculo dignum videtur, Dei Filium paulo minus ab angelis minorari, quam *Dei Matrem super angelos exaltari* [2]. »

Alia ratio huius tam eximiae gloriae sacrae Mariae secundum s. Doctorem est, quia oportet correspondere gradum gratiae consummatae in coelis gradui gratiae in terris inchoatae.

« Quantum enim, inquit, gratiae in terris adepta est

[1] Cfr., s. I, n. 3 et 4, in Ass. B. V.
[2] Cfr., s. 4, n. 1, in Ass.

prae caeteris, tantum et in coelis obtinet gloriae singularis [1]. »

Alia, et forsitan principalis *ratio* huius gloriae est illius sententia perfectissima Mariae dilectio erga Christum Deum.

« Quod si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se, quod praeparavit *gignenti se,* et, quod omnibus est certum *diligenti prae omnibus* quis loquatur [2] ? »

Doctrina S. Bernardi etiam de gloria Mariae in coelis breviter exposita, huic dissertationi finem imposuerim.

[1] Cfr., s. I, n. 4, in Ass.
[2] Cfr., s. I, n. 4, in Ass. B. M. V.

EPILOGUS

S. Bernardus semel humiliter dicit : « fateor imperitiam meam, pussillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem, quod me magis delectet, sed nec quod terreat magis, quam de gloria Virginis Matris habere sermonem [1]. »

Paucis tantummodo mutatis repeto « fateor..... quam de gratiae plenitudine Mariae secundum doctrinam S. Bernardi instituere dissertationem ». Delectat me utpote filium s. Bernardi, explicare illius doctrinam de gratiae plenitudine Mariae, terret me hoc idemque non modice, utpote *parum* huic rei *parem*.

Similiter apud s. Doctorem invenio illud : « teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis, potens est enim [2]. »

Nec ego te, sacra Virgo dimittam, cuius gratiae plenitudinem secundum fidelissimum servum tuum S. Bernardum ausus sum exponere, donec benedixeris mihi. Tunc enim satis scio, operae pretium me fecisse.

Benedic ergo Virgo *gratia plena*, « omnibus offerens lac et lanam [3] », mihi, benedic omnibus veneratoribus tuis, benedic benevolis mea legentibus Tibi dicata, potens es enim. *Fiat ! Fiat !*

[1] Cfr., s. 4., n. 5, in Ass. B. M. V.
[2] Cfr., s. dom., infra Oct. Ass. B. M. V., n. 5.
[3] Cfr., s. dom., infra Oct. Ass. B. M. V., n. 2.

INDEX

Friburgi Helvetiorum. — Typis Consociationis Sancti Pauli.